POEMATVM

GVALTERI HAD-DONI, LEGVM DOCTORIS, SPARSIM COLLECTORVM, LIBRI DVO.

LONDINI,
APVD GVLIELMVM SERESIVM.

ANNO. 1576.

IN POEMATA D. GVALTERI Haddoni, per Thomam Hatcherum collecta, Ioannis Freri Medicinæ Doctoris Epigramma.

Eloquium quis non Ciceronis laudet, & artem,
Quis non Naſonis nobile carmen amet?
Cui non Sedulius, Prudentius atque Iuuencus
In pretio? Quis non ſcripta vetuſta probet?
Quemlibet iſtorum quis non miretur? Et vnum
Haddonum cunctis quis neget eſſe parem?
Atquî ſi nimium cuiquàm dixiſſe videbor,
Hæc legat, & dictum dixerit eſſe parum.
Hisq́ ita quòd fruimur, magni eſt, Hatchere, laboris
Omne tui, & laudes, quas decet, inde feres.
Nam quantum Hipparcho debet, ſtudioſus Homeri,
Tantum doctorum turba Latina tibi.

Vita D. Gualteri Haddoni.

GVALTERVS HADDONVS, patria Cantianus, ſtudio Cantebrigienſis in Collegio Regio, ſupra familiæ claritatem raris animi corporiſq; dotibus ſplendeſcebat. Miro enim ingenij acumine, geſtu oris excellenti, moribus expolitis, atque admirabili ſiue diceret, ſiue ſcriberet, eloquentia non tantum Cantabrigienſes quibuſcum habitu ſcholaſtico conuixit, ſed omnes, qui illum audierunt, in ſui amorē facilè pellexit. Tantis autē virtutibus gratulata Academia, & ſummis præſentem alumnum dignitatibus cohoneſtauit, & maioribus in Rep. ſplendidioribusq; honorum faſtigijs pręparauit. Etenim Iuriſconſultorū eloquentiſsimus, & eloquentium iuriſconſultiſsimus honeſtiſsima conditione Ciuile ius publicis in ſcholis explicabat, Procancellarijq; officio perfunctus eſt: & ab Edouardo ſexto huiuſmodi eruditionis fama commotus Oxoniam vocatus, Magdalenenſi illic Collegio pręficitur. Erat tum Cantuarienſis Archiepiſcopus Tho. Cranmerus, homo vt vita, ſic omni ſcientiarum genere excultiſsimus, qui tantū Haddono tribuit, vt eius doctrina ac iudicio, ad pręſcribendas Eccleſiæ Anglicanæ leges (quæ nunc impreſſæ extant) vteretur. Sereniſsima poſtremo Eliſabetha

ſabetha Regina, artes magnifaciendas, artium cultores, Reip. cauſa, cui mirificè proſunt, omni honore proſequendos ſentiens, Haddonum ſibi à Supplicũ libellis eſſe voluit. Omnia ferè illius, omnis generis ſcripta, Thomas Hatcherus ſparſim diſsipata collegit, collecta typis Sereſianis Londini vno volumine excudi curauit. Complectitur autem illud volumẽ. Orationes, Epiſtolas, & Poëmata, quę Typographi rogatu, ad ſcholarum vſum meliori nunc ordine, & auctiora, ab eodẽ in lucem emittuntur. Extant prę-terea eiuſdem.

De legibus Eccleſiaſticis. lib. 1.

Dialogus de Papiſtarum tyrannide. lib. 1.

In Oſorium de Religione imperfecti. lib. 2.

Obijt Londini, Euangelicorũ incredibili luctu, Religionis, Eccleſiæ, & regni Anglicani acerrimus defenſor, anno ſalutis per Chriſtum partæ. 1571. Cal. Feb. 12. in eccleſia Chriſti ſub marmore cum prima vxore Margareta Clera ſepult⁹, hacq; inſcriptione:

Sic, ô ſic iuncti tumulo maneamus in vno,
Quos ſemper viuos iunxerat vnus amor.

Eiuſdem vita à ſeipſo carmine deſcripta.

NOna mihi vitæ cæperunt currere luſtra,
Cum patriæ feci commoda tota meæ.

Tempora doctrinæ studijs iucunda peregi,
Sed fortuna tamen sæpè nouerca fuit.
Semper eram magnus clari Ciceronis amator,
Otia dilexi, quæ sine lite forent.
Simplice natura vixi, neglector honorum,
Lingua silens, animus res agitando frequens.
Sum quatuor rebus fælix, in principe, matre,
Coniuge, syncera præstat amicus opem.
Me duo perturbant hostes, calumnia, morbus,
Tertia crux, nomen non habitura, necat.
Fortè meos quisquam si vult cognoscere cursus,
Vltima cum primis iungere fata placet.
Est Cantebrigiæ studiorum regia sedes,
Nomine digna suo, digna parente suo.
Fontibus ex illis manarunt flumina nostra,
Quicquid & in nobis extitit, inde fuit.
Seruus ad extremum regali versor in aula,
Hæc est fortunæ meta suprema meæ.
Salua sit Elisabeth, multos longæua per annos,
Anglia diuina tuta fruatur ope.

POEMATVM GVALTERI HADDONI LIBER PRIMVS.

PRECATIO MANASSIS Regis Israelitarum, captiui.

O Deus, ô patrum nostrorum gloria sola,
Seminis ô iusti, summe patrone deus,
Numine qui magno cœlum, terramq; creasti,
Et quod habet tellus, & quod olympus habet,
Alme deus, clemens, & iustam tardus ad iram,
Ad veniam facilis, crimina nostra dolens,
Ecce miser merui, vindictæ fulmina sæua,
Criminis & faciem sum reus ante tuam.
Grandia deliqui, deliqui multa, diuq;,
Creuit & ex veteri crimine, culpa recens.
Pœnitet heu scelerum, flexis tibi supplico cordis
Poplitibus, veniæ quæso memento deus.
Peccaui fateor, peccaui, crimina damno,
Execror & sceleris probra nefanda mei.
Me mea culpa reum faciat tua gratia saluum,
Tendo manus, supplex obsecro, parce deus.

Parce deus, noli vitiorum mole grauatum
Perdere, peccati nec memor esse velis.
Et licet indignus venia miser ipse videbor,
Gratia pro merito sit tua quæso meo.
Sic mea vita tibi laudes seruata rependet,
Atque tuum iusto nomen honore colam.

Ex Propheta Iob.

FOEmineo mortalis homo de ventre profectus,
Aspicit hanc lucem, progreditur q; foras.
Et licet exiguo dimittat tempore vitam,
Est tamen immensis vita referta malis.
Funditur in terras, vt flos in tempore verno,
Illico langueſcit, conteritur q; breui.
Lubrica perpetuis iactatur motibus ætas,
Atque statum variè mutat, vt vmbra locum.
Tu deus ad fragilem massam tua lumina flectes?
Ac hominis iudex tu deus esse paras?
Ecquis homo purus non puro semine factus
Esse potest? Ecquis talis in orbe fuit?
O deus, humanæ si vitæ tempora certa
Digeris, & menses annumerare placet,
Si tuus ordo manet stabilis, si fixa voluntas,
Si queat ad positos addere nemo dies:

Attamen

Attamen indulge ſpatium, quò ſpiritus æger
Viuere dediſcat, diſcat & indè mori.
Sic homo promptus erit venienti cedere fato,
Cum memor antè ſuæ conditionis erit.
Nam quaſi mercedem, ſic vitam ſumimus omnes,
Semper vt arbitrio ſtet q̃, cadat q̃, dei.

PSALMVS DAVIDIS. XXXIIII.

TEmpus in õne dei laudes mea lingua ſonabit,
Semper ego dominum commemorabo meũ.
Spiritus ad dominum referet præconia iuſta,
Vir pius audito, gaudet honore dei.
Cælica communi celebremus numina voce,
Summus honos domini nomen ad aſtra ferat.
Inueni tandem dominum, qui multa querentem
Audijt, & clemens abſtulit omne malum.
Quærite diuini radiantia lumina vultus,
Semper & ex illo lumine, lumen erit.
Vndique depreſſus pauper ſua vota profudit,
Venit, & erectum iuſſit abire deus.
Angelus è cælo, domini præcepta timentes,
Seruat, & in medio ſtans, mala quæque fugat.

Delitias

Delitias domini dulces, gustando probate,
Qui domino fidunt, omnia tuta tenent.
Sit timor in sanctis, reuerentia nuinmis adsit,
Sic tibi quo viuas sufficienter erit.
Diuitiæ magnæ pereunt in tempore paruo,
A domini seruis non remouentur opes.
Huc ades ô fili, propius mea percipe verba,
Vt timeas dominum, disce, docebo viam.
Qui cupit expertem curarum ducere vitam,
Cogitat & læta prosperitate frui,
Sermones vitat prauos, linguamq; refrænet,
Ne struat occultos, insidiosa, dolos.
Defugiat vitium, recti vestigia seruet,
Gaudia tranquillæ pacis amæna colat.
Nam deus ad iustos clementia lumina flectit,
Atque pias facili percipit aure preces.
Lumine sed torno scelerat os aspicit omnes,
Agmen vt infælix tempus in omne ruat.
Vox pia iustorum diuinas excitat aures,
Omnibus atque malis liberat ille bonos.
Afflictis dominus seruis solet esse propinquus,
Ac animas humiles anxietate leuat.
Magna licet iustos incurrat turba malorum,
Efficit vt non sint hæc nocitura deus.

Omnia

Omnia ſeruorum numerauit membra ſuorum,
Nec deus ex illis vlla perire ſinit.
Exitus infælix vitioſis omnibus inſtat,
Qui mala vult iuſtis, in ſua damna ruit.
Quotquot habet ſeruos, dominus redimendo re-
Qui domino fidet, crimine liber erit. (laxat,

PSALMVS DAVIDIS, CIII.

MAgnificas domini laudes mẽs grata reuoluat
Intima corda dei nomen honore colant.
Spiritus ô noſter, dominum celebrare memento,
Cuius habes ſummo munere, quicquid habes.
Qui tibi condonat ſceleratæ crimina vitæ,
Corpore morborum qui genus omne fugat.
Cuius ab interitu vitam clementia ſeruat,
Cuius abundantes dextera fundit opes.
Tempora florentis qui reddit lætæ iuuentæ,
Corpora qui ſenio cana virere facit.
Omnibus oppreſſis domini ſententia iuſta
Subuenit, ac illo iudice vera valent.
Ille ſalutari deduxit tramite Moſen,
Ille dedit populo iura beata ſuo.

Parcere

Parcere procliuis dominus, concedere promptus,
Multa diù patitur, fertq; benignus opem.
Non inimicitias seros transmittit in annos,
Criminis & nostri non solet esse memor.
Pœna minor culpã sequitur, quàm culpa meretur,
Improbitas iusto fulmine nostra caret.
Vt caua sub vastum tellus subsidit Olympum,
Vt minor est magna terra minuta polo:
Sic domini nostram vincit clementia culpam,
Pectora quando, dei plena timore, tremunt.
Tempora tẽporibus, quàm distant prima supremis,
Quando diem Phœbus fert, tenebrasq; refert,
Tam deus à nobis longè delicta remouit,
Et vitijs iram fecit abesse suam.
Ac pater vt gnato summisso parcere gaudet:
Sic dominus nunquam pectora fracta ferit.
Nouit enim nostros ortus, quod puluere nati
Repimus in terris, & sepelimur humo.
Tempora demesso sunt nostra simillima fœno,
Prætereunt anni, flos vt agrestis abit.
Qui cadit ad terram iactatus turbine venti,
Nec locus apparet, quo prius herba fuit.
Sed domini viuax semper clementia durat,
Si metuas semper corde tremente deum.

Et

Et dominus iustus defendet teq́ tuosq́,
Viuere si domini legibus ipse velis.
Condidit in cælo sedem diuina potestas,
Omnia sunt regno, subdita regna, dei.
Angelus in cælo diuinum nomen honoret,
Qui domini fælix iussa minister obit.
Cõcinat eximios domini gens sancta triumphos,
Quæ solet ad nutus esse parata dei.
Tota suum dominum collaudet machina mundi,
Tuq́ deum celebres, ô me a vita, tuum.

PRECATIO EX PSALMO. XXXI.

O Deus, ô nostræ spes indubitata salutis,
Iustus es, haud seruum præcipitare sines.
O deus ad nostras, aures demitte, querelas,
Et mihi maturam fer o benignus opem.
Protege me trepidũ, quem multa pericula cingũt,
Arx mea sis, quando vis inimica premit.
Perfugium solum, tu tota potentia nostra es,
Dirigat errantem nominis aura tui.
Eripe me laqueis, quos callidus abdidit hostis,
Nam mihi patronus, tu deus, vnus ades.

In manibus mea vita tuis, meus ecce redemptor
Ponitur, ó verax, & venerande deus.

DISCIPLINA CHRISTIANORVM MORVM.

Tobiæ. 4.

PErcipe, mi fili, vocis præcepta paternæ,
Sermo meus, vitæ sit tibi norma tuæ.
Me cum fata vocant, corpus compone sepulchro,
Non tibi sit vilis, sed veneranda parens.
Semper honorato matrem, sic dirige vitam,
Vt facias, mater quæ tua facta velit.
Fac animo repetas, cum te gestauit in aluo,
Temporis illius quanta procella fuit.
Quando deus statuit vita discedere matrem,
Corpora cum nostro corpore iuncta cubent.
In domino maneat semper tibi fixa voluntas,
Et tua peccati crimine vita vacet.
Quæ dominus præcepta dedit, contemnere noli,
Iustitiæ placeat cultus, iniqua fuge.
Donec enim purus viues sine labe malorum,
Omnia diuino numine læta fluent.
Iustitia quisquis vitam traducit honestam,
Eius erunt summa prosperitate dies.

Sparge

Sparge facultates, vt fratrum postulat vsus,
Quamq́ feres inopi, ferto libentèr opem.
Pauperibus noli duros auertere vultus,
Ne deus auertat lumina sancta tibi.
Vt patiuntur opes, fratri largîre petenti,
Tempore pro duro, sic tibi condis opes.
Liberat interitu clemens largitio vitam,
Nec tenebris mergi te tua dona sinent.
Munera largiri domino gratissima res est,
Semper & authores præmia certa ferunt.
Moribus à sanctis absit scortatio fœda,
Sola tuo coniunx sit tibi iuncta thoro.
Vxor ab antiquis veniat maioribus orta,
Aduena, coniugio non erit apta tuo.
Stirps etenim sanctis descendit nostra Prophetis,
Nous erat noster, noster Abramus erat.
Noster Isacus erat, nostris adiunge Iacobum,
Hæc vetus est nobis annumerata tribus.
Omnibus vxores propria de stirpe fuerunt,
Prole fuit fœlix turba fauente deo.
Dilige cognatos, & cum vis esse maritus,
Ex propria sponsam fac tibi gente legas.
Pectore pellatur fastus, pellatur ab ore,
Fastus ad interitum præcipitare solet.

Fastus

Faſtus habet lites, offenſis faſtus abundat,
Atque ferox tandem faſtus egere facit.
Namq; nimis tumidum quem res fecere ſecundæ,
Hunc ſequitur duro tempore nuda fames.
Soluere mercedem nunquam differto merenti,
Sic deus ipſe tibi, quando merere, dabit.
Omnibus in factis omnes circumſpice partes,
Conſilio, vitæ fac modereris iter.
Quod tibi tu velles nunquam contingere poſſe,
Hoc fratri nunquam feceris ipſe tuo.
Vina nec ad luxum ſumas, ſumantur ad vſum,
Ebrietas nunquam ſit tibi iuncta comes.
Quando fames vrget fratres, apponito menſam,
Corpora quando rigent frigore, nuda tege.
Ex opibus quicquid ſupereſt, tribuatur egenti,
Læta ſit in donis dextera larga ſuis.
Maxima iuſtorum maneat tibi cura virorum,
Non tamen aſſueſcat paſcere menſa malos.
Conſilio ſapiens ſemper tua facta gubernet,
Quæ ſapiens fieri præcipit, illa tene.
Supplice mente tuum dominum fac ſemper adores,
Et pete, te recta ducat vt ille via.
Dirigat vt recto curſu veſtigia cæca,
Tempora conſiliis donet vt apta tuis.

Conſilio

Consilio gens nulla valet, deus omnia solus
Suggerit, ex solo sunt bona quæque deo.
Deijcit & dominus, cum fert sua sancta voluntas,
Quoslibet, & qua vult nos ratione premit.
Hæc igitur, fili, mea pectore verba reconde,
Hæc tibi non animo deleat vlla dies.

Sapientiæ Iesu filij Sirach, vulgò Ecclesiastici.

Cap. 1.

OMnis ab astrifero sapientia manat Olympo,
Semper enim comes est, & fuit illa Dei.
Quis pluuiæ guttas, quis arenam littore sparsam,
Atq; dies æui quis numerare potest?
Quis valet excelsi conscendere climata cœli?
Et caua terrarum quis latebrosa subit.
Sic neque cœlestis plenè sapientia scitur,
Quæ fuit à summo prima profecta deo.
Prima caput terris domini sapientia prompsit,
Atque creaturis omnibus vna præst.
Fonte fluit sermone dei, sapientia vera,
Qui domini seruat iussa verenda, sapit.

Mentis & eximiæ radices nemo latentes
Perſpicuè cernit, multipliceſq; vias.
Vnus enim Deus eſt, cæli, terræq; creator
Omnipotens, unus, terribilisq; Deus.
Ingenij Deus eſt ſolus moderator & author,
Hoc operi reliquo lumen adeſſe iubet.
Et ratio dux eſt animantibus apta regendis,
Erudit & ſolos iſta magiſtra pios.
Eſt domini verus res anguſtiſſima cultus,
Excitat is mentes, pectora læta facit.
Religio domini longeuæ ſemina vitæ
Conferit, & dominum qui colit, ille valet.
Et valet, & viget, & placidæ poſt tempora vitæ,
Mors quoque cum veniet ſera, ſuauis erit.
Numinis affulgens animis veneratio iuſta,
Vndique perfectum mentis acumen habet.
Namque dei quorum tetigit ſapientia ſenſus,
In domini magno ſemper amore manent.
Religio domini rationis fundat acumen,
Atque pijs cuſtos eſt ſine fine data.
Numinis eſt cultus verus ſapientia ſancta,
Sanctaq; ſyncerum vita cor eſſe facit.
Mentibus humanis ratio cæleſtis inhæret.
Hoſpes & in iuſto pectore ſemper erit.

In

In reuerendo deum pleno sapientia viuo
Currit, & authorem prosperitate beat.
Relligio domini, vitam sine labe tuetur,
Nec sinit irarum surgere mente faces.
Cuius enim pectus flammis exæstuat iræ,
Ad mala præcipiti truditur ille gradu.
Pectore tranquillo vindictæ tempora differ,
Exitus atque moræ post tibi lætus erit.
Et tua verba tene donec sit causa loquendi,
Laus ita multorum crescet in ore frequens.
Si tibi cælestis fuerit sapientia cordi,
Iussa Dei serua: sic cumulata venit.
Namque Dei vero cultu sapientia constat,
Grata Deo mitis spiritus, atque fides.
Relligio fortis paruæ sit sobria custos,
Atque Dei verus fac tibi ducet amor.
Ad populi voces noli componere vitam,
Fidito sermoni non nimis ipse tuo.
Turbida ventosam non inflet gloria mentem,
Postea ne titubes, atque repentè ruas.
In medio populi cætu peccata patebunt.
Relligio fuerit si simulata Dei,

Cap. 2.

Qui domino ſeruire ſtudes, ſis iuſtus, & antè
Horrida fortunæ fulmina diſce pati.
Conſilijs ſanis animum munire memento,
Ne quatiant dubiam tempora dura fidem.
Iunge Deo mentem, nec ab illo lumina flecte,
Sic eris extremo tempore diues opum.
Quam Deus obtulerit placatè ſumito ſortem,
Ad varias rerum ne trepidato vices.
Sicut enim flammis precium dinoſcitur auri,
Sic hominis vires tempora dura probant.
Fide Deo, Deus atque tibi ſuccurret egenti,
Numinis ad canos te comitetur amor.
Si dominum reuerere, Dei te dextra ſeruat,
A domino poſtquam digrediere, rues.
Tempora maiorum percurre vetuſta tuorum,
Te prior exemplis vita docere poteſt.
Quem domini ſeruum probri calumnia preſſit?
Seruus & illius nemo carebat ope.
Atque pio quiſquis diuinum pectore numen
Inuocat, hunc ſpretum non ſinit ire Deus.
Nam dominus clemens nobis peccata remittit,
Rebus in afflictis Numen adeſſe ſolet.

Ocia

Ocia damnantur, damnatur sermo nefandus,
Et duplici, pereat, qui velit ire via.
Mens sine spe mœrens propugnatore carebit,
Ad mala degenerans vir cadit ante diem.
Quid miser inuenies, quo te defendere possis,
Cum ratio vitæ sit tibi danda tuæ?
Quos igitur domini reuerentia iusta mouebit,
Sancta Dei summo iussa timore colent.
Et licet interdum dominus cessare videtur,
Attamen expectant donec adesse velit.
Namque pijs domino vitam committere præstat,
Quàm mala mortalis iura subire fori.
Sicut enim domini maiestas summa videtur,
Sic etiam bonitas est sine fine Dei.

Cap. 3.

IVstitiam mater gignit sapientia prolem:
Nascitur ex illis obsequiosus amor.
Filius ad patris voces accommodet aurem,
Ibit inoffensis sic pia vita vijs.
Ex domini iussu sequitur veneratio patrem,
Collocat & matris pondus in ore Deus.
Si venerere patrem, peccati labe carebis:
Matris honor magnas accumulabit opes.

Quem dabis ipſe patri, reddet tibi natus honorẽ,
Compos eris voti quando precare deum.
Si reuerere patrem veniet tibi cana ſenectus,
Qui metuit dominum matris amator erit.
Et faciendo tuos, & honora fando parentes,
Fer patienter eos, ſic benè vota cadent.
Fundamenta domus ſunt vota ſequunda parentũ:
Triſtia ſunt matris vota, ruina domus.
In patre fortè tuo ſi labes vlla reſidat,
In patrio proprium vulnere vulnus erit.
Quando patri canos inſperſit ſenior ætas,
Prompta ſit obſequijs officioſa manus.
Si pater ex morbo triſti ſit ſenſibus orbus,
Ne minus hoc caſu tu pius eſſe velis.
Quicquid enim miſero tribuet tua cura parenti,
Poſt memor officij reddet id omne Deus.
Redditur infamis, ſi patri filius abſit,
Matris & oſorem deuouet ore Deus.
Sobria tranquillæ præſit moderatio vitæ,
Sic bonus ipſe bonis charior eſſe potes.
Gloria quo creſcit magis, hoc ſubmiſſior eſto:
Sic erit à ſummo gratia magna Deo.
Eſt honor in multis, ſolus myſteria ſacra
Scire poteſt, miti pectore quiſquis erit.

Eſt

Est etenim domini cœlestis magna potestas,
Supplicibus seruis & petit ille coli.
Quæ ratio penetrare nequit perquirere noli,
Quod superat vires non subeatur onus:
Sancta Dei præcepta pia fac mente reuoluas,
Cætera, quæ fecit dicta latêre sine.
Omnia non opus est domini secreta videre,
Officium facito, quærere plura caue.
Fastus obest, multos audax fiducia perdit
Ingenij, quo non debuit ire, ruens.
Quisquis enim nimis est ad multa pericula prõptus
In foueam tandem præcipitatus erit.
Semper habet damnum mentis temerarius ardor,
Et solet ex fastu nil nisi triste sequi.

Cap. 4.

Qvi sapit, assiduè diuina volumina versat,
Audit & attentè dogmata sancta Dei.
Flumina succensas extinguunt frigida flammas,
Eluit & labem dextera larga mali.
Te Deus afflictum, te sustentabit egentem,
Si miseros opibus vis recreare tuis.
Aspice mansuetus fractorum vulnera fratrum,
Pauperibus promptam fer opem rogatus opem.

Pauperibus duros oculos auertere noli,
Ne faciat fratris iusta querela reum.
Filius est patris cœlestis frater egenus,
Et sonat illius clamor in aure Dei.
Iudicio certans nimium contendere noli,
Iudicis & nomen tu reuerenter habe.
Pauperibus faciles præbeto querentibus aures,
Et placidis verbis tristia corda leues.
Erige deiectos, oppressis porrige dextram,
Iudicium iustum redde, timendo nihil.
Orphanus auxilio te patrem sentiat esse,
Et viduæ debes coniugis esse loco.
Sic eris ipse Dei fortunatissima proles,
Matre tua multo qui meliora dabit.
Discipulis claros sapientia donat honores,
Et cupidis vltrò pandit amica sinus.
Qui colit hanc dominam vitæ bene tẽpora ponet,
Hac duce, tranquillos & facit ire dies.
Quos sibi constantes sapientia iunxit alumnos,
His domini nutu prospera quæque cadunt.
Qui damini voces iusto veneratur honore,
Ille Deo seruit, gratus & ille Deo.
Qui sapit, ille potest alios sapuisse docere,
Consilijs eius viuito, tutus eris.

Cuius

Cuius eunt puri fædo ſine crimine mores,
Et ſapit, & fælix ſemen habere ſolet.
Forſitan aduerſis iactabitur ille procellis,
Et dabit infælix multa dolenda dies.
Principijs forſan ſapientia triſtibus vtens,
Scire velit quantum mente vigoris habet.
Poſtea diſcipulum ſapientia ſumit in vlnas,
Et mala quæ fuerant, tempora læta facit.
Diſſimulatores vitat prudentia vafros,
Cladibus oppreſſos atque perire ſinit.
Tempora quid poſcant præſentia, mente notato,
A vitijs puras & reuocato manus.
Et licet immineant tibi mille pericula faſſo,
Quicquid erit verum, confiteare tamen.
Nam pudor eſſe poteſt vitijs aliquando miniſter,
Atque pudor nomen laudis habere poteſt.
Firmus eris cum recta facis, nec terreat vllus,
Et benè currentis nemo moretur iter.
Intrepidus venias teſtis ſi cauſa requirit
Fratris, vt oppreſſo vox tua præſtet opem.
Si reus es, verbis noli defendere crimen,
Quæ malè feciſti, facta negare caue.
Si tibi fortè via recta contingat abire,
Cauſa patrocinio neſtet iniqua tuo.

Non

Non aderis ſtulto, faſtum contemne potentum,
Vera tuere, Dei ſic ope ſaluus eris.
Quod dare non poteris noli promittere quicquã,
Dedecus eſt rebus cum tua verba carent.
Ædibus in proprijs noli nimis aſper haberi,
Nec famulos vultu terreat ira truci.
Nec tibi prompta manus nimium ſit dona ferenti,
Sed potius miſeris porrige dando manus.

Cap. 5.

VTere diuitijs, opibus ſed fidere noli,
Nec vitæ credas te cumulaſſe ſatis.
Nam tibi quantumuis immenſus creſcat aceruus,
Omnia, cum venient tempora dura, ruent.
Quæ libet, haud facias, quamuis feciſſe licebit,
Nec tibi quam ſatis eſt, plus tribuiſſe velis.
Nam tua ceſſabit, quantumuis magna, poteſtas,
Cum Deus vltrices vibrat in ora faces.
Nec quia ſæpè tibi peccanti virga pepercit,
Eſſe putes iuſti nulla flagella Dei.
Eſt equidem fateor, domini clementia magna,
Sed tamen admiſſis fulminat ille malis.
Nulla licet crimen nonnunquam pœna ſequatur,
Ne tibi peccandi ſit minor inde metus.

Sæpè

Sæpè Deus differt in tempora longa furorem,
Sera licet, tamen est ira tremenda Dei.
Vt dominus clemens, ita iustus debet haberi,
Præmia datq; bonis, verbera datq; malis.
Cum bonus esse studes, noli producere tempus,
Parua licet mora sit, maxima damna trahent.
Passibus intereà properans vindicta cruentis
Obruit incautum non remouenda caput.
Te malè partarum non inflet copia rerum,
Aspera cum venient tempora, nudus eris.
Sis animo constans, nec te circumferat aura
Quælibet, & varijs ire caueto vijs.
Sermo sit & semper iustus, sit semper & idem,
Sis pius, & domini sancta statuta tene.
Res attende bonas, & respondeto benignè,
Perpetuus vitæ sit sine labe tenor.
Ne doceas alios quod non perceperis antè,
Lingua potest decori, dedecoriq; fore.
Vana leues nunquam sectetur lingua susurros,
Falsa nec in quoquam crimina sermo notet.
Fur nocet, at peior tamen obtrectator habetur,
Nam loculis alter, moribus alter obest.
Ne facias aliquid quamuis exile videtur,
Actio matura si ratione caret.

Cap.6.

Cvius amicus eras, non debes hostis haberi,
Nomen enim lenitas afficit ista probro.
Ne tumeant vano præcordia turgida fastu,
Nec fera mens altè cornua celsa ferat.
Deprimet erectas ceruices vasta ruina,
Nudus & afflicto corde, iacebis humi.
Cuius enim pectus vitiorum mole grauatur,
Ad barathrum prona labitur ille via.
Impia si mens est, inimicis gaudia præbes,
Et malus ipse malis annumeratus eris.
Allicit humanos animos oratio blanda,
Comis amicitias vndique sermo legit.
Sit tibi quæ faueat quamuis numerosa caterua,
Sed tamen ex illis vnus amicus erit.
Sumere non debes, nisi sis expertus amicum,
Nec dabis ignoto, ne capiare, fidem.
Auferat vt prædam magnum simulabit amorẽ,
Callidus & prædam quando prehendit, abit.
Deterius genus est, quod amicum ponit, & hostẽ
Induit, & verso gutture probra iacit.
Sunt etiam muscæ, patinas quæ lingere norunt,
Secta nisi solos non amat ista cibos.

Pascere

Pascere dum licet, his circumfundêre ministris,
Si tua deficiet mensa, relictus eris.
Quem prius esse scies hostem vitare memento,
Et vigila, noceat ne tibi fictus amor.
Tutus eris fido si coniungêris amico,
Præsidij satis est, est opis indè satis.
Maius habet precium constãs qui durat amicus,
Quàm domus, aut ingens structus aceruus opũ.
Fidus amicus habet miseræ solatia vitæ,
Vel deus hunc solus, vel dare nemo potest.
Conferat in teneris annis sapientia semen,
Indè viro magnus postea fructus erit.
Atque licet iuuenis duros patiere labores,
Quando senex fueris commoda multa metes.
Turgida si vano tumeant præcordia fastu,
Mens & inassuetis horreat ire vijs.
In dubio nunquam sapientia pectore sidet,
Nam nisi constantes non amat illa viros.
Sæpè leues sese sapientum nomine iactant,
Cum stupido non sit pectore mica salis.
Ergo salutares si vis admittere voces,
Et iuuat ad verum, qua patet, ire via:
Lubrica labentis sapientia tempora vitæ
Dirigat, & quicquid iusserit, illud age.

Intima

Intima corda ſuis monitis ſapientia flectat,
Atque regat ſenſus iſta magiſtra tuos.
Hanc labor aſſiduus dominam ſi quærit, habebit,
Sed tibi ne parcat tam bona præda caue.
Principijs forſan leuiter te punget acerbis,
Spes tamen in firmo ſit tua fixa loco.
Nam dolor exiguus tibi gaudia longa pacabit,
Exitus & plenus proſperitatis erit.
Nobilis egregio victor tollere triumpho,
Magnus & ex omni parte ſequetur honor.
Cum ſenibus viuas, rerum quos erudit vſus,
Qui ſapis, hunc quando ceperis, vſque tene.
Mens ſitiens auido ſcripturas pectore ſacras
Hauriat, & domini myſtica verba Dei.
Qui ſapit, illius te conſuetudo iuuabit,
Eius & haud pigeat ſæpè ſubire domum.
Ad domini leges ſemper mens ſancta feratur,
Verba Dei verſes, & relegendo legas.
Pectora ſic dominus tibi purgatiſſima reddet,
Sic erit ingenij, quem cupis eſſe, vigor.

Cap. 7.

SI noceas alijs, & tu lædêre viciſſim,
Si dederis damnum, te mala multa premẽt.

Quæ

Quæ facis iniustè pœna grauiore luentur,
Atque comes vitijs vltio dira datur.
Pectore sis humili, nec publica munera captes,
Aut vt apud regem sis propiore loco.
Ne tibi sic placeas, vt regi posse probari
Vel tua facta putes, vel tua facta Deo.
Esse magistratus non debes velle videri,
Ne tibi sit probro non benè gestus honos.
Fortè tibi vires, aberit tibi fortè voluntas,
Supplicio debes plectere quando malos.
Sæpè tuos sensus corrumpet cura potentum,
Vt facias, fieri quæ tua iura vetant.
Sis requietis amans, nolito ciere tumultus,
Mite cor horribili seditione vacet.
Crimina ne credas tam grandia posse remitti,
Qualiacunque dabis thura cremanda Deo.
Sedula supremos penetrans oratio cælos,
In domino certam debet habere fidem.
Fratribus afflictis promptè succurrere debes,
Et tua sit miseris officiosa manus.
Tristia deiecti ne ludas vulnera fratris
Quisquis es, arbitrio stas q; cadis q; Dei.
Nulla tibi charos lædant mendacia fratres,
Non habeat sermo falsus in ore locum.

Cum

Cum ſenibus viuens, ne multis vtere verbis,
Et precibus longis non opus eſſe puta.
Sint licet in vita curanda mille labores,
Perfer, eos cæli mittit ab arce Deus.
Cauſa tibi non ſit peccandi, turba malorum,
Sed metuas pœnam, quæ propè ſemper adeſt.
Ibis in æternum, niſi te correxeris, ignem,
Vermis &, incenſum, non moriturus, edet.
Abijciantur opes potius quam migret amicus,
Charior eſt auro non ſimulata fides.
Si tua ſit coniunx prudens, & fœmina caſta,
Plus precij gemmis omnibus illa feret.
Officio functos noli vexare miniſtros,
Et benè ſeruierit qui tibi, liber eat.
Si pecus eſt, cures vt poſſit ferre laborem,
Vtile ſi fuerit, iure fouere potes.
Inſtrue prudenter ſobolem, frænaq; rebellem,
Filia ſit caſtæ virginitatis amans.
Filia prudenti iungatur adulta marito,
Nam patris officio ſic bene functus eris.
Chara tibi cum ſit coniunx, hanc tempore nullo
Dimoueat thalamis falſa querela tuis.
Et colito patrem, matriſq; memento dolorum,
Et benè te nunquam crede merendo pacem.

Pectore

Pectore syncero domini reuerebere numen,
Atque sacerdotes, qui pia sacra colunt.
Fac dominum metuas, cuius te dextra creauit,
Atque sacerdoti portio iusta detur.
Erige deiectos, vt possis esse beatus,
Omnibus officijs auxiliare pijs.
Tristia merentis recreato pectora fratris,
Cum lachrymis lachrymas consociato tuas.
Fac adeas fratres, si morbo fortè laborant:
Talis enim pietas est placitura Deo.
Quicquid agis, facti primum circumspice finem,
Sic mala nulla tibi suscipienda scies.

Cap. 8.

OBruet in iustis te magna potentia causis,
Hostis erit nullus, vel tibi sume parem.
Ditior & tecum litem si suscipit vllam,
Iudicium multas sæpè sequetur opes.
Nam bona pars hominũ grandi mercede mouetur,
Nummus & oblatus Regia corda mouet.
Iurgia si quis amat, verbis contendere noli,
Materiam morbo multa loquendo dabis.
Aspera festino ne tentes pectora ludo,
Concita ne bilis seria damna ferat.

Si malus à vitijs resipiscens, viuat honestè,
Quod malè fecit, eat, quod benè fecit, ama.
Cæsaries tibi cana senum sit honore colenda,
Vult fieri longo tempore quisque senex.
Lætitiæ causam non affert mortuus hostis,
Fata trahunt illum, te quoque fata trahent.
Quæ sapiens dederit tibi sunt præcepta sequenda,
Principibus disces indè placere viris.
Qui prior est annis, illum plus scire putabis,
Hunc etenim grandes erudiere patres.
Ne rapidos sæuis apponas ignibus ignes,
Omnia lingua dicax deteriora facit.
Reddere magnates nolunt, quæ mutua sumunt,
Mutua quæ trades interijsse scias.
Esse fideiussor noli, nisi soluere possis,
Tempora cum venient, excutiendus eris.
Parce magistratum contra contendere iure,
Qualibet is leges efficit ire via.
Quos lenitas audax agitat, vitare memento,
Ne simul in foueam præcipitatûs eas.
Namque ruûnt temerè quo fert insana libido,
Tu miser inter eos, si capiare cades.
Qui sapit iratum non altercando mouebit,
Nec comes it solus. Nam furor arma ciet.

Consilium

Consilium stultis non impertire decebit,
Aptior est cerebro seria causa graui.
Omnibus haud debent quæ sentis omnia dici,
Nè tibi fortè malum garrula lingua ferat.

Cap. 9.

Coniugis in castæ mores inquirere noli,
Suspitio fallax credulitate nocet.
Moribus, vt par est, summissis pareat vxor,
Si nimium laxes fræna, rebellis erit.
Scorta caue subeas, ne captus retia cæcæ
Psaltria blanditijs pectora nota mouet.
Lumina formosis auertas casta puellis,
Ne feriens oculos corda subintret amor.
Scorta facultates absumunt impia partas,
Effuge, vicorum nec tere sæpè vias.
Si propè spectetur muliebris gratia formæ,
Concitat in molli pectore forma faces.
Ex quibus insurgunt flammis incendia sæua,
Exul & emigrat pectore pulsa quies.
Alterius sponsam non complectendo fouebis,
Nec nimium noris, ne malus vrat amor.
Si nouus antiquum tibi pellit amicus amicum,
Qui nouus est, veteri, fortè minoris erit.

Cautus amicitias ſpatio quaſi vina probabis,
Optimus eſt, annos qui bene ferre poteſt.
Impius ad ſummos quamuis aſcendat honores,
Aſpice quas clades tempora ſera vehent.
Ne facias magni regalia ſceptra malorum,
Quos reſipiſcentes non videt vlla dies.
Vtere principibus modicè, nimis eſſe propinquus
Si cupis, in vitæ multa pericla rues.
Si tua te fortuna facit ſeruire potenti,
Diſpice ne titubes, atque repentè cadas.
Sollicitè vigiles, laquei ſunt vndique fuſi,
Turribus in ſummis es ſitus, ergo caue.
Quos habeat mores vicinus noſſe labora,
Qui ſapiet, cauſis hunc adhibeto tuis.
Congrediare bonis, illos & ſuſcipe lætus,
Sed timor aſſiduè debet adeſſe Dei.

Cap. 10.

ARtificem declarat opus, ſapientia regis
Geſtis famam rebus habere ſolet.
Garrula conuentus offendit lingua celebres,
Nec vitio præceps ſermo carere poteſt.
Quando iuuat proceres, iuuat & ſapientia regẽ,
Ordine ſunt proprijs omnia fixa locis.

Qualis

Qualis erit princeps, talis præfectus habetur,
Nobilitas qualis, plebs quoque talis erit.
Publica commotus subuertit commoda princeps,
Cum proceres sapiunt, vrbs opulenta viget.
Auxilio domini solo Respublica floret,
Atque magistratus præficit ille bonos.
Ille magistratus fa lices efficit esse,
A domino dignus laude senatus adest.
Sobria commissum plectat clementia crimen,
Parua negat pœnam culpa subire grauem.
Iudicis officium syncerè debet obire,
Prorsus & affectu corda quieta vacent.
Dij superi fastum, fastum mortalis abhorret,
Hæc homini leuitas displicet, atque Deo.
Fit populi vitijs Deus vt peccata perosus,
Transferat in varios regna subinde locos.
Cur genus humanum nulla ratione superbis?
Cur ita te iactas? puluis es, atque cinis.
Donec enim spiras, nihil es nisi corpore cænum,
Mors medicis sprętis inijcit atra manus.
Sic modò qui fuerat regali clarus honore,
Nunc superiecto puluere busta subit.
Rex hodiè regnas, & cras es turpe cadauer,
Mortuus & vilis vermibus esca iaces.

Mens dominũ quando fugiens errore vagatur,
Atque creatoris desinit esse memor:
Pectora quando deum variè peccando relinquũt,
Tunc sequitur fastus, cordaq́ prauа subit.
Quisquis in hoc cœno deformia membra volutat,
Assiduè sceleris perpetrat omne genus.
Horribili dominus subuertit cæde superbos,
Mitibus ingenijs mitia regna dedit.
Regna Deus, terras, & gentes clade peremit,
Qui nimio fastu non meminere sui.
Nos satan & sæuos facit, & facit esse superbos,
Sed domini saluos nos facit esse timor.
Qui dominum metuit, regem venerabitur idem,
Hunc deus egregia prosperitate beat.
Nec tua conditio debet tibi læta videri,
Dat domini solus gaudia vera timor.
Si pius est pauper, si prudens, suscipe fratrem:
Qui malus est, illum ne cole propter opes.
Inclyta magnorum quamuis sit fama virorum,
Attamen es maior, si reuerere deum.
Consilium famuli dominus quandoq́ sequetur,
Nec queritur seruus quò meliora videt.
Quando magistratus fueris, nè propria laudes,
Nec quia te multis est opus, indè tume.

Est melius sortem rectè viuendo tueri,
Quàm variis fessum rebus habere nihil.
Vndique terrores licet impendêre videntur,
Sis animo forti, propositumq́, tene.
Quam dederit dominus sortẽ si sponte relinques,
Nullus erit, tua qui damna dolere velit.
Ingenij prompto censetur acumine pauper,
Ex opibus precium diues habere solet.
Si tenuem reddit dignum sapientia laude:
Si saperet diues, gloria quanta foret?
Deterior contrà diues si crimine fiat,
Pauperibus res est dedecorosa, malum.
Conditio tenuis si sit sapientia iuncta,
Principis ad solum sæpè vocata meat.
Ne ferat ingentem species externa fauorem,
Et licet hæc absit gratia, vise bonos.
Corpus apis paruum meritò quod spernere possis,
Illa tamen dulces conficit arte fauos.
Pectora non inflet fastu pretiosus amictus,
Nec tibi, cum flores prosperitate place.
Nam noua multa deus rerum miracula promit,
Quid dominus statuat scire, nec antè licet.
Abijcit ad terram dominus persæpè tyrannos,
Et nec opinantes regius ornat honos.

Egregij proceres ſubitis ſunt cladibus icti,
Sæpè prehenſus adit magna pericla potens.
Lite niſi nota quenquam damnare caueto,
Repoterit dicta, pœna deinde ſequi.
Rebus in alterius minimè contendere debes,
Et ſine te iudex, ſi ſit iniquus, eat.
Sordida diuerſas non tractent pectora cauſas,
Se variè iactans eſt ſine fruge labor.
Quærere multa potest forſan induſtria magna,
Attamen in multis multa perire ſolent.
Corpora diſtracto qui vexant dura labore,
Sæpè tibi nimia ſedulitate nocent.
Diues, inops, fælix, infælix, vitaq́; morsq́;,
Cætera ſunt iuſſu quæque ſtatuta dei.
Dona bonis dominus quæ dat fælicia reddit,
Et facit vt nulla ſint peritura die.
Omnia comportans miſerè qui vixit auarus,
Tempora cum veniunt mortis, abibit inops.
Verba Dei teneas, pietatis munera præſtas,
Officium facias, ſat tibi creſcet opum.
Nam deus amplificat ſeruorum lucra ſuorum,
Rebus & illorum tempora læta parat.
Nuda licet pietas omni mercede carebit,
Pœniteat nunquam te tamen eſſe bonum.

Vndique

Vndique congestis opibus si diues abundas,
Attamen hac tutus non potes esse via.
Tempora cum bona sunt, mala tẽpora discе timere,
Cum mala sunt, rursus crede futura bona.
Quando manus nobis sæuas mors iniicit atra,
Pro merito dominus dona cuiq; dabit.
Sit licet exiguum tempus tibi fortè dolendi,
Cætera quæ fuerant tempora læta, delet.
Pectora terribili cum mors ferit horrida telo,
Quomodo vita tibi sit prius acta scies.
Qualis erit quisq; viuus decernere noli,
Iudicium certum funera sola ferunt.

Cap. 12.

OMnibus ignotis ædes aperire recusa,
Hostis erit forsan qui tuus hospes erat,
Callidus est vt auis, reliquas qua decipit auceps,
Insidias rebus collocat ille tuis.
Quæ bona sunt, lingua deprauatrice refellit,
Et bene quæ fiunt, fingit habere malum.
Excitat ingentes ignes accensa fauilla,
Impius interitus, exitiumq; sitit.
Ergò malos vita, nihil est probitatis in illis,
Perpetua quærent labe notare domum.

Aduena

Aduena te vexat curis admiſſus in ædes,
Et proprijs tectis pellere ſæpè ſolet.
Munera ſi dones, perſonas elige gratas,
Sic erit officio gratia iuncta tuo.
Auxiliare pijs, ita res cum fœnore creſcet,
Nam deus illorum nomine reddet opes.
Ex animo benefacta tuo dimittere noli,
Nam ſolet ingratos vltio dira ſequi.
Qui dominum metuunt, illis prodeſſe ſtudeto,
Si malus eſt pauper, præmia nulla ferat.
Impius adiutus triſtiſſima damna rependet,
Et deus in prauos fulmina ſæua iacit.
Donec eris fœlix, vix ſcire licebit amicum,
Ilicò ſi miſer es, proximus hoſtis erit.
Nam tua proſperitas ſi floreat, inuidet hoſtis,
Cum fuerit durum tempus, amicus abit.
Qui ſemel eſt hoſtis, quanquam ſe fingat amicum,
Attamen eſt illi non adhibenda fides.
Sicut enim ferrum ſplendens rubigine ſquallet,
Aſpera ſic hoſtis pectora ſemper habet.
Obſequium licet omne tibi præſtare ſtudebit,
Exuit ingenium non tamen ille ſuum.
Omnia ſi facias, illum quæ flectere poſſunt,
Cor tamen illius conciliare nequis.

Ergo

Ergo migrare iube, nec in ædibus ille moretur,
Ne propria pulsum cogat abire domo.
Sic tibi deluso veniet sapientia sera,
Vulnera cum ferri non patiuntur opem.
Incantatorem serpentum morsibus ictum
Nemo dolet, quoniam sponte pericla subit.
Bellua sæua suum lacerat si forte magistrum,
Interitus causam præbuit ipse sui.
Sic tibi si socius coniungitur impius hostis,
Postea quando rues, author es ipse mali.
Mollibus appellat verbis te callidus hostis,
Et simulat luctus, & lachrymando gemit.
Sed tacitè secum cladem tibi corde minatur,
Mens fera visceribus vult satur esse tuis.
Dissimulat stomachum veris permistus amicis,
Et quasi te saluum vellet habere, venit.
Interitum tamen ille tuum clam mente volutat,
Et tibi, qua poterit parte nocere, nocet.

Reliqua morte immatura præreptus non vertit.

Pio lectori.

Qvisquis es, has domini leges qui scire laboras,
Disce mori mundo, viuere disce deo.

Namque

Namque licet Christum fecit mea musa poëtam,
Attamen est idem, qui fuit antè, deus.
Non animi causa versus percurrere debes:
Sumitur hinc vitæ regula certa tuæ.
Regula, quæ numeris currens, vt promptior esset,
Carminis hæc nobis vnica causa fuit.
Subsequitur domini vocem doctrina Iacobi:
Discipulus domino conuenit iste suo.
Quæ legis, in vitam transfer præcepta beatam,
Vt sit idem cordis semper & oris, iter.
Sic tibi certa tui constabunt lucra laboris:
Sic mihi certa mei lucra laboris erunt.

Præterit habitus huius mundi.

Oratio Iesu Christi, qua populum affatus est, cum ascendisset in montem. Math. 5.

Astitit, & populũ cernens concurrere Christus
In tumulo sedit, circumfusisq; sedenti
Discipulis, præcepta dabat, sic ora resoluens.
Pectore summisso qui sunt, animisq; modestis,
Fœlices ibunt patriæ cœlestis ad oras.
Fœlices etiam, vitæ qui crimina mœrent:

Namque

Namque pium sequitur solatio læta dolorem.
Mitia mansuetè, qui degunt tempora vitæ,
Suscipit hos gremio sanctissima terra beato.
Iustitiæ sitis, atque fames quos sacra tenebit,
Illorum fælix, satiabit copia fauces.
Qui teneris animis sunt, & mollescere possunt:
Mutua fælices illos miseratio reddet.
Pura quibus mens est, & cor sine labe malorũ,
Et dominum cernent, & erunt cernendo beati.
Aspera concordi, qui sedat prælia pace,
Fælix diuinæ florebit nomine prolis.
Iustitiæ causa quotquot tormenta dolorum
Intrepidè subeunt, cælestia regna tenebunt.
Impia pestiferis quoties conuitia linguis,
Natio praua vomens, ad pœnas corpora quæret:
Et quoties puros mores infamia falsa
Conspuet, eximio quia me celebratis honore,
Vos, ô vos toties verè censete beatos.
Tempora lætitiæ sunt hæc plenissima vestræ,
Præmia quæ summo deducent maxima cælo.
Namque fuit quondam qualis fortuna Prophetis,
Talis & in vobis hodiè succedere debet.
Pectora vos insulsa decet condire salubri
Doctrinæ succo, putridas purgare lacunas

Corrup-

Corruptæ vitæ: quia sal cælestis in omnes
Spargimini terras, sal si tabescere cæpit,
Interit, atque foràs conculcat turba iacentem.
Lumina vos estis toto lucentia mundo.
Non igitur cæcis debet lux vestra cauernis
Obruta demergi, sed vt vrbes monte locatæ
Ostendunt longè muros, & tecta domorum:
Vtque ardens lucerna solet diffundere lucem,
Quando micans sursûm conclauia lumine cõplet:
Sic benefactorum vestrorum flamma refulgens
Igne pio feriat sensus, & corde perurat:
Possit vt exemplis vestris reuirescere virtus,
Gloria cælestem sequitur sic maxima patrem.
Tollere præteritas nolo, sed figere leges,
Tollere non statuo, statuo reuocare Prophetas.
De quibus affirmo, dum mundi machina durat,
Syllaba nulla cadet, sed iustum pondus habebit.
Hæc minima qui parte sui conuellere tentat,
Aut alijs culpæ fuerit temerarius author,
Non poterit regni cælestis ciuis haberi.
Qui tenet, ac alijs suadet mandata tenere,
Fælix in cælo magna mercede fruêtur.
Nam nisi iustitiæ maiores edere fructus
Vestra potest pietas, quam Scribæ regula possit,

Aut

Aut Phariſæorum ſolennis formula legum,
Non licet in regno cœleſti ponere ſedem.
Lex antiqua fuit, quæ non occidere mandat,
Atque reos cædis iuſto quæ iudice punit.
Sed mea lex iram, ſi ſit temeraria, damnat:
Iudicioq́ notat commoti iurgia fratris.
Si furor exarſit linguæ, conuitia iactans,
Concilio ſubiectus erit, qui crimen habebit.
Stultitiæ probrum creſcens inſania fratris
Si iaciat contra fratrem, mittetur in ignem.
Ergò tuum ſacra ſi munus ponitur ara,
Iamq́ deo tendens palmas, offerre parâris:
Et ſubit interea mentem iuſtiſſima cauſa,
Quam tuus aduerſus te frater ſuſtinet, illum
Concilia primùm: placato fratre, reuerte.
Carcere ſi iuſto te frater claudere tentat,
Tollito maturè lites: ac inter eundum
Quas tuus obiicet frater ſedato querelas:
Iudice ſub iuſto nè cauſam dicere cogat:
Iſq́ tuis meritis ſuccenſens ire miniſtrum
Imperet, ac duris te deuincîre catenis.
Crimen enim ſi iuſta tuum ſententia damnet
Iudicis, ex illo te carcere nemo mouebit,
Omnia quæ debes donec ſunt ritè ſoluta.

Punit

Punit adulterij pollutum crimine corpus
Formula priſcarum legum: ſed ſanctio noſtra
Aſpectum facit eſſe reum, quem cæca libido
Concitat, & mentes aliena in coniuge figit.
Ergo tibi quæcunque tui pars corporis obſtat,
Siue oculus ſit, ſiue manus, præcidere cures,
Putria ſyncero remouens à corpore membra.
Mancus enim melius cæleſtia regna ſubibis,
Integer æternum quàm detruderis ad ignem.
Legibus antiquis ſatis eſt, ſi quando maritis
Coniugij ſanctum fœdus placet eſſe ſolutum,
Mittere coniugibus ſcriptis diuortia libris.
Sed mihi non ſatis eſt, qui ſic edico maritis,
Vt niſi ſit ſtupri rea, ſponſam nemo relinquat.
Namq; relicta nouum thalamũ quæcũq; ſequetur,
Eſt in adulterio, par eſt & culpa mariti.
Legibus antiquis periuria ſola vetantur,
Sufficit atque deo iuratum reddere votum.
Lege mea, nulli prorſus iurare licebit.
Si iuras cælum, iuras cæleſtia regna:
Si iuras terram, iuras ſubſellia patris.
Hieruſalem iurare nefas, quia regia ſummi
Principis eſt, cuius reuereri limina debes.
Atque caput propriũ, quia non formare licebat,

Nec

Nec iurare licet: domino sua facta relinque.
Est: non est: vestræ sit simplex regula linguæ.
Quicquid erit maius, vitio confine videtur.
Lex vetus est oculos oculis, & dentibus esse
Pensandos dentes: sic par erat vltio culpæ.
Sed mea vindictam patitur clementia nullam.
Inÿciat si fortè manus tibi frater iniquas:
Vis quantùm crescit, tantùm patientia crescat.
Pro tunica frater si causam dicere cogat,
Spontè tua chlamydem facilis sine lite remitte.
Hospes in ignotis si quis regionibus erret,
Teq; ducem, comitemuè viæ desyderet esse:
Plenius officium præsta, quàm postulat hospes.
Ex opibus quicquam si frater poscat egenus,
Fac tribuas: si quærit mutua, mutua sumat.
Lex antiqua iubet, magnifaciamus amicos,
Ac odÿs iustis inimicos vltio figat.
Vos tamen & vestros inimicos semper ametis,
Et probra cùm iactant, illis optate salutem,
Quando ruent odÿs, studio pensate benigno,
Lædere quando parant, illos orando iuuare
Pergite: sic patrem proles bonitate sequetur:
Qui tempestiuos dimittit nubibus imbres,
Atque salutarem diffundit sole calorem:

De quibus humani generis promiſcua turba,
Maxima præſentis conquirit commoda vitæ.
Nam ſtudium ſtudio ſi penſat amicus amico,
Gratia tam paribus meritis eſt nulla relicta.
Si colitis ſolos fratres, exilis amoris
Fructus erit: vulgus ſua ſic commertia tractat.
Gratuitus ſit veſter amor, dimanet ad omnes,
Non meritis emptus, non vtilitate reuinctus.
Denique ſit vitæ talis perfectio veſtræ,
In patre cæleſti qualem reperitis ineſſe.

Math. 6.

CVm miſeros fratres largitio veſtra leuabit,
Non oculos vulgi, nec plauſus quærere debet:
Non medio tuba rauca foro tua dona ſonabit.
Sic ſimulatores faciunt, quos gratia vulgi
Commouet, ac fragilis popularis gloria laudis.
Hoc genus, humanæ quia captat præmia linguæ,
Præmia de cælo venientia nulla reportat.
Sed tua cùm pietas fratri ſuccurret egeno,
Ibit ab humanis oculis, & teſte carebit:
Vt pater in cælis, qui ſecretiſſima cernit,
Munera muneribus manifeſtis abdita penſet.
Nec ſimulatorum debetis more precari:

Quos

Quos licet in plateis stantes, cætuq; videre,
Vota deo coram, magno dum murmure fundunt.
Hos deus vt seruos hominum, dimittit inanes.
Supplice tu dominum quoties vis ore precari:
In conclaue tuum secedens ostia claude:
Solus ibi dominum secretum flecte precando,
Solus vt è cælo tibi munera fundat aperta.
Garrula quæ currit multis oratio verbis,
A Ethnica, se longo credit sermone probari.
Non opus est multis verbis extendere vota:
Scit pater in cælo, quid vestrum quisq; requirat.
Quandò meos seruos orandi cura subibit,
Omnibus ista piæ ponetur formula vocis.
O pater, ô noster, qui supra sydera regnas,
Semper in eximio sanctum sit nomen honore.
Magna tui veniat maturè gloria regni.
Quomodo stat cælo, terra stet firma voluntas.
Continuis epulis animos, & corpora nutri.
Vt condonamus, condona crimina nobis.
Sustenta miseros vitiorum mole ruentes:
Et præsta saluos in tempestate malorum.
Cuius habet nullas ditio latissima metas,
Cuius habet nullum diuina potentia finem.
O pater in cælis, natorum suscipe vota.

Quam petitis culpæ veniam, concedite vestris
Fratribus, atq; pater vobis peccata remittet.
Pectore qui duro nolunt ignoscere fratri,
Pectore pro duro plectentur iudice patre.
Turpis hypocriseos fucus ieiunia vestra
Non linat, & vultus atros fuligine reddat,
Vt facies cernens vulgus ieiunia laudet.
Corpora quando deo vultis subiecta domare,
Emineat læto vultus placidissimus ore:
Sic caput & facies niteant, ieiunia solus
Vt pater in cœlis vester secreta videre
Possit, & is vobis mercedem reddet apertam.
Deuia fortunas non condat terra sepultas:
Aut rapient fures, tineæ vel ab ore terentur.
Astra facultates scandant, cælóq; locentur:
Quo neq; fur penetrat, tineæ neq; morsus edacis:
Nam thesaurus vbi situs est, ibi pectora sidunt.
Est oculi duplex lumen sub fronte locatum,
Corpore quod toto lucem diffundere debet.
Hanc igitur lucem purgari fæce malorum
Conuenit, vt puro perspergat lumine vitam.
Nam vitij nubes, oculorum lumine merso,
Corporibus tenebras inducit nigra profundas.
Nemo potest dominis plenè seruire duobus.

Seruiet

Seruiet alterutri, famulum desyderat alter.
Sic ego vos solus, solus vel Mammon habebit.
Sollicitudo cibi, potus, & vestis, ab ægris
Pectoribus cedat: patri committite curas,
Corpora qui pascit, qui collocat ordine vitam.
Corpora quis volucrum toto labentia cœlo
Libera sustentat, nullo vexata labore?
Si volucrum viles animas clementia patris
Seruat, an in vestra poterit cessare salute?
Quantalibet te cura premat, tibi crescere cura
Non poterit corpus, noua nec procedere membra:
Sed pater in cœlis qui iunxit corporis artus,
Ille creaturas omnes & pascit, & ornat.
Lilia procero quæ candida vertice surgunt,
Ipsa sibi nullas, possunt contexere vestes:
Et tamen illorum foliis florentibus alta
Gloria se tollit, sursùmq; cacumina iactat.
Non Salomon tam cultus erat, cùm regia pompa
Ornamenta sui colligerat omnia regni.
Gramina camporum, quæ post mittentur in ignẽ,
Si deus exornat, vos non sine veste relinquet.
O homines fractis animis, cur cura fatigat
Pectora, vestigans timidè vestemq;, cibumq;?
AEthnica turba, deũ quæ non habet, ista sequatur.

Vos pater indulgens curat: quantumq́ cuiq́
Conueniat, nouit, tantumq́ cuiq́ reponit.
Mente deum, regnumq́ dei fac ſupplice quæras:
Cætera diuino tibi fundet copia cornu.
Pectora venturi non tangat cura diei:
Nanq́ ſatis præſens ſecum feret ipſe doloris.

Math. 7.

IV dicijs duris fratres iugulare cauete:
Iudicium durum ſequitur ſententia dura.
Pondere quo fratrum veſtrorum facta libratis,
Pondera veſtra pater cæleſtis librat eodem.
Parua vides fratris, propriæ te crimina vitæ
Magna latent: alios ſemper purgare laboras
In minimis, tua ſit vitijs cùm vita referta.
Cur ita diſſimulas? primùm peccata tuorum
Grandia dele to morum, tunc corrige fratrem.
Eximias fidei canibus deſiſtite gemmas
Promere, vel porcis: illos odioſa tyrannis
Efferat, hos carnis demergit fœda libido:
Ergò prophanabit fidei myſteria veſtræ,
Vel ruet in veſtras teterrima natio clades.
Si petitis, dabitur: ſi quæritis, inuenietis:
Ianua, pulſanti, fuerat quæ clauſa, patebit.

Vos

Vos homines quos ſola facit natura parentes,
Filius à vobis ſi panem fortè rogarit,
An dabitis lapidem? ſi piſces ille requirat,
An dabitis ſæui ſerpentis dira venena?
Vos igitur, quos culpa malos innata reliquit,
Si bona, quando petunt, natis conferre poteſtis
Munera, cæleſtis pater optima quandò rogatur,
Munera perpetuæ donabit maxima vitæ.
Quomodò tractari vultis, tractate viciſſim
Vos alios: in eo conſtant lex, atque Prophetæ.
Sunt geminæ portæ, quarum latiſſima multos
Altera deſcenſu facili ſub Tartara mittit:
Altera quæ ſurſùm ſublimia tendit ad aſtra,
Difficiles habet introitus, & limina parua.
Porta capit paucos, ſed quos anguſta recepit,
Collocat in cælis arctiſſima ſemita tutos.
Effundet falſos ætas ventura Prophetas,
Quos ſimulatorum manſueta modeſtia morum
Occulet, illorum vos declinate furorem.
Simplicitas oſtendit oues externa, ſed intùs
Pectora ſæuorum flagrant feritate luporum.
Si pietas animos veſtros fucata mouebit,
Cernite quos fructus illorum vita profundat.
Nec tribulus ficos vnquàm, nec ſpina dat vuas.

Qualis enim fuerit fructus, quæ procreat arbor,
Talis erit semper, quem sumis ab arbore fructus.
Putrida corruptos fructus, quæ fuderit arbor,
Cæditur, ardentes & inutilis ibit in ignes.
Ergo sit in vobis morum perfectio summa.
Nam dominum frustra, quantumuis sæpè vocabit,
Cuius erit domini præceptis vita repugnans.
Tempora iudicij cùm vos postrema supremi,
Ante meum trepidos cogent astare tribunal,
Impia sic sese iactabit lingua malorum:
O deus, ô venerande deus, nos esse Prophetas
Nominis in virtute tui scis, atque ligatas
A Satana miseras animas exoluere posse.
Nominis atque tui cognoscis numine sacro,
Cætera virtutis quot sint miracula nostræ.
Sit licet illorum tam stulta superbia linguæ,
Non tamen agnoscam, miseros migrare iubebo,
Ignotosq; mihi, vitam qui crimine mergunt.
Dogmata diuinæ quisquis præsentia vocis
Audit, & in sanctos mores transmittere curat,
AEdificatori par est qui prima domorum
Firma super petram vult fundamenta locare.
Nanque procellosis cùm stillant nubibus imbres:
Quandò ruit Boreas, & sæuo tecta tumultu
Concutit,

Concutit, has ædes tempestas nulla mouebit:
Fundamenta petræ quia sunt stabilissima duræ.
Sed mea quæ posui vobis, mandata tenenda,
Discere qui velit, & vita discedit ab illis,
Est homini fatuo similis, qui ponit arena
Fundamenta domus, quã turbine concitus imber
Quandò quatit, molles magna vi soluit arenas,
Et domus ingenti, procumbit tota, ruina.
Sic fatur Christus. Magno defixa stupore,
Turba silet, sacræ mirans oracula linguæ.
Grandia diuinus quia traxit pondera sermo,
Nec sine momento, scribarum more, strepebat.

EPISTOLA SANCTI Iacobi. Cap. 1.

SErnus ego, patrisq; dei, Christiq;, Iacobus,
Communem sparsis Iudæis mitto salutem.
Quando ferit miseros tempestas sæua malorum,
Anxia diuersæ cum vexant pectora curæ:
Gaudia tunc animis, fratres, surgentia lætis,
Aspera vestrorum pellant tormenta dolorum.
Crescit enim certando fides, & sæpè ferendo
Difficiles vitæ discit tolerare labores.
Colligat æternum patientia firma vigorem,

Et

Et ſtabilis virtus in nulla parte vacillet.
Quando deeſt vobis ſapientia, quærite ſursùm,
Vndè deus pleno cumulo diſpertit acumen
Omnibus, atque datum munus non exprobrat vlli.
Qui petit, accipiet, ſi ſpes ſit firma petentis.
Nã titubans animus, dubitãs quẽ diſtrahit error,
Fluctibus hybernis par eſt, quos æquora iactant,
Concitus & ventus rapido cum turbine voluit.
Talis erit voti nunquàm dubitatio compos.
Simplicitas placeat duplex aſtutia mentes
Diſſipat, atque vias incertas lubrica verſat.
Conditio tenuis magna mercede futura
Creſcat, & è cælo theſauros ſumere ſperet.
Cuius erit contrà nummorum plenus aceruus,
Contrahat is animum: quoniam ſic vita caduca
Præterit, vt ſiccis flos defluit aridus herbis.
Quando ſuos Phœbus radios diffundit in orbem,
Decoquit herbarum ſuccos, morientibus illis,
Vertice ſtat nudo gramen ſine flore relictum.
Sic tibi diuitias paulatim vita recedens
Deterit, atque iaces putris ſine nomine truncus.
Pectore qui firmo vitiorum tela refũtat,
Ille erit, ille ſua tandem virtute beatus.
Induet æternam victoria læta coronam,

Crimine

Crimine cum pulso morum præstantia lucet.
Nam deus, ista pijs promittit munera seruis,
Quando suum numen iusto venerantur amore.
Mens tua si vitij scintillas cæpit habere,
Non deus has affert, affert tibi praua libido.
Criminis hæc labem cum pectore concipit intus,
Parturit, & fædum peccati dedecus edit.
Filia peccati mors est horrenda nefandi.
Deuius, ô fratres, animos non auferat error.
Quicquid enim recti, quicquid virtutis habetur,
Muneris & quicquid perfecti vita requirit,
Maxima cælestis donat clementia patris,
Pectora diuino qui solus lumine complet,
Cuius habet nullos constans perfectio motus,
Cuius habet nullas lux immutabilis vmbras.
Patris enim nostri, nos, definita voluntas,
Pondere diuinæ vocis, quasi semina prima
Constituit rerum, quas post effudit in orbem.
Sæpè tuas aures discendi magna cupido
Arrigat, at linguam ratio non sæpè relaxet.
Consilij pestis, mentem non obruat ira,
Namq; dei iustis præceptis cæca repugnat.
Ex animis culpæ sordes, & spissa malorum
Agmina trudantur, subeat pia corda beatus

Sermo

Sermo dei, certam ſermo dabit ille ſalutem.
Tranſeat in vitam virtus, quæ fluxit ad aures.
Quiſquis enim præcepta dei veneranda tremendi
Audijt, & vitam non conformauit in illis,
Errat, vt ad vitrum qui vultus quandò locauit,
Exijt, & propriam dimiſit mente figuram.
Ergò tibi legis perfectio mente notanda
Semper erit, ſemper morum ſit norma tuorum.
Nam pia perpetuò quiſquis veſtigia legis
Seruat, eum reddet conſtantia firma beatum.
Currere qui patitur ſtolidã ſine pectore linguã,
Qui ſinit ad vitij latebras diuertere mentem,
Relligionis habet falſum ſine pondere nomen.
Relligio ſyncera, deo quæ ſola placebit,
Hæc erit, afflictis quæ vult ſuccurrere membris,
Quæ, ſine patronis vllis fortuna reliquit,
Quæ vitij faces ſyncero corde repellit,
Nec ſinit in mundi cœno ſordeſcere mentem.

Caput. 2.

VEſtra fides paribus, fratres, ſe ſubuehat alis,
Nec ſibi ſit diſpar, in fratrum diſpare ſorte.
Nobilis ingreditur gemmis ornatus, & auro:
Pauper adeſt, laceris malè tactus corpora pannis.

Diuite

Diuite ſi ſumpto, fratrem ſecludis egenum,
Non tua, quo debet, proficiſcitur ordine, virtus.
Nam deus elegit, quos vos calcatis egenos.
Atque licet mundus ſordes contemnat eorum,
Grata deo pietas nudo de corpore manat.
Ciuis erit cœli quantumuis pauper oberret,
Pectora ſancta dei quiſquis complebit amore.
Quos deus aſſumit, vos faſtidire cauete.
Diuitias ſequitur magnas furioſa tyrannis,
Et trahit inſontes ad ſæuum dira tribunal.
Diuitias ſequitur blaſphemia, dente cruento
Dilacerans domini ſanctiſſima nomina ſummi.
Regia diuino lex promanauit ab ore,
Fratribus vt talem nos exhibeamus amorem,
Qualis amor noſtri nobis ſentitur ineſſe.
Vos ita ſi facitis, laus eſt virtutis in illo.
Veſtra ſed in cauſis fratrum ſi regula diſpar
Claudicat, admittens illum, qui fulget in auro,
Paupere ſummoto qui nudo corpore friget,
Iſta trahit ſecum tam magna ſuperbia culpam,
Atque reos ſpretæ legis, vos arguit eſſe.
Sancta deinde dei ſic omnia iuſſa cohærent,
Legis vt vnius violatio diſtrahat omnes.
Author enim nobis legum deus vnus, & idem
Extitit,

Extitit, à quarum minima qui parte receſſit,
Obligat hunc iuris totius culpa ſoluti.
Tanta ſit in vobis moderatio cordis, & oris,
Vt libertatis vos lex abſoluere poſſit.
Quiſquis enim ſummo contendit iure ſeuerus,
Sentiet is ſummi duriſſima vincula iuris.
Iudicij neruos frangit miſeratio clemens,
Et debellato valdè lætatur in hoſte.
Sola fides, operum ſi ſit ſine laude piorum,
Interit, atque poteſt nihil vtilitatis habere.
Nudus enim frater, ſoror & cum nuda ſedebit,
Si iubeas miſeros, vt ſunt, ſine veſtibus ire,
Atque parare ſibi quò viuere corpora poſſint,
Ecquid eos iſta pereuntes voce leuabis?
Sic ſterilis benefacta fides ſi nulla miniſtrat,
Occidit, & ſucco, moritur, virtutis adempto.
Nec benè diſtinguit pariter naſcentia membra,
Qui ſecat, alterutrũ ſumens, ſociumq; relinquens.
Eſſe deum credis, qui mundo ſolus, & vnus
Imperat? hoc rectè credis, ſed ſpiritus illud
Impius agnoſcit tecum, trepidatq; fatendo.
Qui leuis ad fidei vocem ſubſiſtet inanem,
Credit & expertem factorum, poſſe valere:
Ad generis noſtri patrem reſpectet Abramum.

Filius,

Filius, hunc iustum reddebat, victima factus.
Certa fides eius sanctissima pectora mouit,
Et fidei motum succedens actio complet.
Propterea iustum scriptura vocauit Abramum,
Est & in hoc facto domini numeratus amicus.
Iustitiæ laudem, synceræ gloria vitæ
Colligit, atq; fides ex se non sufficit ipsa.
Namq; Raab meretrix, quando collegit in ædes,
Quos populus sanctus furtim dimisit ad vrbem,
Rursus & in montes diuerso tramite misit:
Non credendo fuit, sed erat faciendo beata.
Spiritus ægroto cum frigidus exit ab ore,
Defluct ad terram corpus, vitaq; carebit.
Sic benefacta, fidem cum solam fessa relinquunt,
Interit, atque iacet nulla cum laude sepulta,

Caput. 3.

Magna magistrorũ non debet crescere turba,
Grandius est crimẽ cũ summa scientia peccat,
Labitur in multis errans inscitia rebus.
Qui celeres linguæ motus ratione gubernat,
Illius ad summum sapientia maxima venit,
Et facili reliquum disponit in ordine corpus.
Fræna caballorum flectunt durissima colla,

Clauus

Clauus & exilis naues, quas diſsipat Auſter,
Dirigit, accedens quò ducit cura magiſtri.
Maxima ſic paruæ feruent conuitia linguæ:
Concitat ingentes flammas ſcintilla minuta.
Lingua ſuæs flammas verborum turbine vibrat.
Lingua vomit, rerum quicquid ſentina malarum
Hauſit, & in noſtro ſibi certam corpore ſedem
Præparat, vt tetro ſuffundat membra veneno.
Quicquid habet volucrũ, quicquid natura ferarũ,
Et mare quos piſces, quos tellus procreat angues,
Ingenij præſtans ſibi ſubijcit omnia virtus.
Lingua tamẽ nunquã regitur moderamine certo.
Voluitur hæc peſtis, rationis vincula frangens,
Et, quod habet virus capitale, per omnia ſpargit.
Lingua deo patri perſoluit debita vota:
Cum venit ad fratres, quos patris veſtit Imâgo,
Perfurit, ac illos maledictis figit acerbis.
Sic fluit ex vno ſermo contrarius ore.
Hæc ita non debent vobis contingere fratres.
Si puteus de fonte fluens, tibi dulcia præbet
Flumina, non vndas idem tibi fundit amaras.
Non eadem fructus diuerſos procreat arbor,
Gurgite nec ſalſo, fons ſi decurrere cœpit,
Ille poteſt riuis manare recentibus idem.

Eius

Eius habet veras ſapientia ſobria laudes,
Cuius habet mores ſanctiſſima vita probatos.
Inuidiæ ſtimuli cum torquent pectora ſæui,
Cum lacerat veſtras acris contentio mentes:
Crimina cur falſum virtutis nomen habebunt?
Non etenim rixoſa venit ſapientia cælo,
Fœcibus exhalat terræ, quam ſpiritus affert
Impius, & prauum dictat rationis acumen.
Æmula mens, pugnæ ſtudio quæ feruida fertur,
Ipſa ſibi diſpar, oneratur mole malorum.
Quæ venit è ſummo diuina ſcientia cælo,
Integra, perpetuo flagrabit pacis amore.
Iudicio dubias cauſas determinat æquo,
Iure ſuo cedens, gaudet componere litem,
Fratribus offenſas omnes manſueta remittit,
Deniq; factorum cumulatur laude piorum,
Inuida non fratrum condemnat facta ſuorum.
Non ſimulat quicquam, ſed aperto pectore viuit.
Qui pia tranquillè tranſmittit tempora vitæ,
Pacis erit tandem magna mercede beatus.

Caput. 4.

QVis furor horribiles pugnas, belliq; tumultus
Cõcitat? & turpi lacerat certamine fratres?

Occupat insanas mentes impura voluptas,
Corporis & fœdi corrumpit putrida membra.
Cur hiat, & nunquam satiatur vestra cupido?
Cur habet optatum nunquàm mens æmula votũ?
Excitat atroces lites contentio vestra,
Nec tamen attingit, quam vellet figere, metam,
Et meritò, coram domino quia turba scelesta
Fundere vota negat, vel sunt, quæ fundit, iniqua,
Quærit enim luxus, quod postea perdere possit,
Et sequitur prædam sceleris furiosa libido.
Progenies Satanæ, stupris demersa nefandis,
Impia pollutæ non sentis gaudia vitæ,
Quomodo cum iussis domini contraria pugnent?
Delitias mundi fragiles qui mente sequetur,
Perdidit æterni certissima prælia cœli.
Terribilis domini nonfrustrà sermo tonabat,
In vitium prono semper nos pectore ferri.
Sed corrupta suæ qui purgat semina mentis,
Crescit in illius iustissima gloria laude.
Ergò deo patri mentes summittite vestras,
Et Satan ex animis migret, cum face malorum.
Iungite vos patri, pater vt se iungere vobis
Possit, & instabili mentes componere pace.
Diluat integritas prauorum crimina morum,

Simplici-

Simplicitas duplices depellat pectoris æstus.
Impia supplicijs diuellite corpora iustis,
Concipiant vultus lachrymas, & corda dolorem.
Gaudia lætitiæ, præsens quæ vita ferebat,
Auferat in regno cœlesti cura locata.
Mens resupina dei se coram numine sternat,
Eriget abiectam rursus diuina potestas.
Non premat insontẽ mentita calumnia fratrẽ.
Fratris enim falso violat qui crimine famam,
Is violat legem, iuris qui vincula frangit,
Ille potest dominus iuris, non seruus haberi.
Tu deus in cœlis, legum venerabilis author,
Solus es, & solus dominus, vitæq; necisq;.
Nemo potestatem diuini sumat honoris,
Nec domini famulũ tua vox temeraria damnet.
Crimen habet magnũ mẽtis stupidissimus error,
Cum sibi promittit longæuæ tempora vitæ,
Per varias vrbes quando se iactat iturum,
Atque reuersurum lucri cum fœnore certo.
Quin minuis fastum miser, & te respicis ipse?
Namque diem certũ, nec habet tua vita, nec horã.
Est etenim fumo similis, qui tempore paruo
Cernitur, atque statim tenues discedit in auras.
Ergò deo patri vitam committite vestram,

Et quæ vita ſolet ſecum commertia ferre.
Namque poteſtatem domini, cum ſermo ſuperbus
Tranſmouet in proprias vires audacia faſtum
Talis habet, veſtro qui pectore debet abeſſe.
Nam tua cum ratio, culpæ diſcrimina cernit,
Poſteà peccantem ſequitur iuſtiſſima pœna.

Caput. 5.

MAgnus opũ quibus eſt arcis differtus aceruus,
Argenti cumulos qui congeſſiſtis, & auri,
Plangite vos miſeri, lachrymarum fundite riuos,
Corda futurorum configat cura dolorum.
Tempore theſaurus, tineæ conſumitur ore
Veſtis, & abroſi pereunt ærugine nummi.
Teſtis auaritiæ turpis rubigo citatur,
Et tacitè veſtras depaſcit ſæua medullas.
Tempore poſtremo, cum mors meditanda fuiſſet:
Extruis immenſo theſauros pondere grandes,
Pauper & intereà frater, qui meſſuit agros,
Præmia iuſta ſui ſudoris ſæpè requirit,
Sed tua, quam debet mercedem, dextera differt.
At deus è cælo clamores pauperis audit,
Atque tibi duras feret hæc iniuria pœnas.
Mollia delitijs impleuit corda voluptas,

Ebria

Ebria corruptas ſoluit laſciuia mentes,
Feſta dies tanquam conuiuia læta frequentet.
Iudicio fratres condemnauiſtis iniquo,
Vadet & ad mortem tacitus ſine crimine frater.
Firma ſit, ô fratres, animi patientia veſtri,
Dum redit è cælo Chriſtus, terrasq; reuiſit.
Agricolas, fruges telluris, mente quieta,
Quamlibet has optent, tamẽ expectare videmus,
Donec oportunus de cælo defluat imber,
Atque ſalubris eas, ſolis concoxerit æſtus.
Sic ſtabilis veſtras vallet patientia mentes,
Chriſtus adeſt, Chriſtus iam iam deſcẽdit ab aſtris.
Aſpera concordem non frangant murmura pacem,
Iudicio ne veſtra cadat diſcordia iuſto,
Proſpicit è cælo iudex, ſedemq; capeſſit.
Cernite, quã fuerit patiẽtia magna Prophetis,
Numine diuino qui prædixere futura.
Sic erit illorum tandem fortuna beata,
Qui ſubeunt duræ diſcrimina maxima vitæ.
Fulminat, & Iób um proſternit mole malorum
Spiritus impurus, ſed rurſus ſubleuat ægrum,
Omnia reſtituens cum fœnore, dextera patris,
Cuius habet nullum clemens miſeratio finem.
Præcipuè vobis ſunt iuramenta cauenda,

Nec licet hæc vlla ſermonis parte locari.
Te deus in cælo ſurſùm, terraq́ deorsùm
Audiet, & pœnas ſcelerato ſumet ab ore.
Non igitur terram iures, nec ſydera cæli,
Nec deus immenſum quicquid produxit in orbẽ.
Eſt, non eſt, ſemper linguæ ſint fræna modeſtæ,
Sic cadet in veſtros nunquàm ſimulatio mores.
Quando deus meritis affligit corpora pœnis,
Supplice voce deum veniam depoſce malorum.
Proſperitas rerum quoties eſt læta tuarum,
Pectora diuinas decantent grata camœnas.
Corpora quando graui decumbũt languida morbo,
Presbyteros ſanctos, ſibi quos eccleſia legit,
Congreget ægrotus, lapſam reuocare ſalutem
Qui precibus poſſint, oleumq́ infundere membris.
Nomina ſacra dei concors oratio ſummi
Inuocet, ac firmis adſit fiducia votis.
Sic deus illorum precibus flectetur, & ægro
Reſtituet vires, & crimina cuncta remittet.
Mutua communes promat confeſſio culpas,
Criminis & veniam communia vota requirant,
Vos deus vt ſaluos poſſit, ſanosq́ tueri.
Pondera magna preces iuſtorũ ſemper habebũt,
Vir fuit Helias communi ſorte creatus;

Et

Et tamen illius potuit ſuſpendere cælo,
Et potuit pluuias oratio reddere terris.
Qui poterit cæco fratres errore ruentes
Ad rectam reuocare viam, qui crimina fratrum
Corrigit, ac illos in veri tramite ponit:
Vulnera curando fratrum ſua vulnera curat.
Nam tibi vita licet vitijs impura redundet,
Eluet ex vita maculas dilectio fratris.

Oratio Dominica.

O Pater noſter, pater ô verende,
Qui tenes cælum, dominans in aſtris,
Sit tuum nomen veneratione
Supplice plenum.
Qui regis reges, ſubigiſq; regna,
Cuius in toto volat orbe virtus,
Præſto ſit regnum, tua ſit propinqua
Summa poteſtas.
Quo modo cælum tibi ſeruit omne:
Terra ſic ſeſe tibi dedat omnis,
Et ſuo ſemper tua ſtet voluntas
Firma vigore.
Da tuis natis, pater ô benigne,
Indies quicquid ratio requirit

Debilis vitæ, tua nos perennis
Copia pascat.
Crimen & clemens miseris remitte,
Quo modo nos cum violamur, illis
Parcimus, quorum meruere iustam
Criminapœnam.
Nec sinas, quos ex nihilo creasti,
Nos, tuam prolem, pretio redemptam
Sanguinis Christi, vitijs nefandas
Dedere mentes.
Sed tuos seruos dominus tuere,
Et pater natos reuoca ruentes,
Culpa ne mentem, simul atque corpus
Turpis obumbret.

Precatio ex Augustino.

OMnipotens, clemẽsq; deus, miserere querẽtis,
Ad gemitus oculos quæso reflecte meos.
Sum miser, & reus, & quoniam peccata placebãt,
Conueniens vitijs hæc mihi pœna venit.
Quæq; dies aliqua culpa facit esse nocentem,
Debita peccatis dat mala quæq; dies.
Quando ego, quæ feci, mecum peccata reuoluo,
Criminibus minor est, quam fero, pœna meis.

Vita

Vita mihi vitijs est omni parte referta,
Supplicium meritis mitius esse scio.
Iustus es ô deus, & non est vindicta seuera,
Tardior est nostris vltio lenta malis.
O pater omnipotẽs, homo cum nihil esset in orbe,
Voce tua est tellus facta repentè caro.
Quæ caro peccatis cum perdita tota fuisset,
Est mirabiliter carne redempta dei.
Non temerè ferimur, nec nos fortuna gubernat,
Tu deus es vitæ, dux es & ipse viæ.
Ergò creaturas clemens nos respicis omnes,
Præcipuè seruos speq́, fideq́, tuos.
O deus exaudi, supplex tua numina posco,
Ne sint peccatis æqua flagella meis.
Subueniat potius misero clementia summa,
Namque malis hæc est omnibus vna salus.
Et quoties iustis plectis mea crimina pœnis,
Me totiès firmo pectore redde deus.
Semper vt inflictam vincat patientia cladem,
Et dolor vt laudes possit habere tuas:
O miserere deus, miseri miserere petentis,
Siuè deest anima, corpore siuè deest.
Omnia tu supple. Nam solus & omnia nosti,
Solus & es, nobis qui dare cuncta potes.

Alia

Alia precatio ex eodem.

NE venias iustus iudex, ô dulcis Iesu,
Nam mea me faciunt crimina multa reũ.
Propitius venias nobis mansuete redemptor,
Atque creaturæ tu miserere tuæ.
Ira reo parcat, miserum clementia seruet,
Nec memor offensæ, sed memor esto precum.
Deprecor ecce tuas iras, ô mitis Iesu,
Nomine, seruator, re, manifesta salus.
Nominis ergò tui memor, & virtutis Iesu,
Anchora sis animæ non remouenda meæ.
In bonitate tua residet fiducia nostra,
Nam mihi sperandi tu deus author eras.
Quærere nos seruos, pulsare, rogare iubebas,
Quæq́ petissemus te bona velle dare.
Obsequor, & pulso iussus, quæroq́, petoq́,
Tu deus hæc serui fac rata vota tui.
Me deus infirmum recrea, fulciq́ ruentem,
Restitui vitæ mortua membra iube.
Instrue tu sensus, ac omnia dirige facta,
Vita voluntatis sit mea serua tuæ.
Hoc satis agnosco, quòd me tua dextra creauit,
Mancipiumq́ tuum, me deus esse scio.

Compe-

Compedibus Satanæ ſtrictus, cum iure trahebar,
Tu mea ſoluisti vincula, factus homo.
Sic ego me certè tibi plus quam debeo totum,
Sed mihi, qua poſſem reddere, nulla via eſt.
Sum tuus, atque tamen tibi conſecrare meipſum
Non queo, ni tua ſit gratia præſto mihi.
Suſcipe me deus, & quando vis vlla reſiſtit,
Mancipio ſanctas inïjce quæſo manus.
Sic in amore tuus fuero, ſtudioq́ placendi,
Ortu ſicut ego ſum tuus, atque ſtatu.

Alia ex eodem.

Ecce meus plaſtes, video me multa rogaſſe,
Pauca ſed ex multis non meruiſſe ſcio.
Heu fateor, meritis non ſunt bona debita noſtris,
Eſt potius ſceleri debita pœna meo.
Omnibus ex donis, tamen eſt clementia ſumma,
Præcipueq́ tibi gratia ſola placet.
Non etenim ſpernis quenquam, non abïjcis vllũ,
Sed reſipiſcenti porrigis vltrò manus.
Ergò deus, cornuq́ meæ, portusq́ ſalutis,
Perditus ante tuos, ecce, procumbo pedes.
Crimina deteſtor, quibus es mihi redditus hoſtis,
Illa mihi dominum ſurripuere meum.

Sed

Sed tamen hoc noui, quòd si resipiscere possum,
Tu deus ad veniam spontè paratus eris.
Ad te si redeo, redeuntem sumis in vlnas,
Si moror, expectas quando venire velim.
Corrigis errantem, detrectantemq; propellis,
Extimulas tardum, nescia corda doces.
Suscipis afflictum, sustentas atque ruentem,
Et tua prostratum gratia tollit humo.
Quod petimus, dabitur, quod quærimus, inueni-
Et cum pulsamus, ianua laxa patet. (etur,
Tu mihi monstrasti rectæ vestigia vitæ,
Ne loca deflectens per tenebrosa vager.
Si bene seruiero, Paradysi gaudia spondes,
Si malè, me Satanæ flammea regna manent.
O deus indulgens nostræ patrone salutis,
Concute quæso tuo pectora nostra metu:
Prouidus horribiles vt pœnas ante repellam,
Quas tua peccatis vltio iusta feret.
Gratia diuinis accendat pectora flammis,
Gaudia quæ spondes, vt mihi donet amor.
Instrue corde deus, linguæ sua suggere verba,
Facta, tibi quæ sint complacitura, doce.
Nunc etiam noui, te mens summissa iuuabit,
Ac anima est humilis, res pretiosa deo.

Hæc

Hæc igitur concede mihi tibi munera grata,
Firmus & in noſtro pectore duret amor.
Tempora ſi fuerint belli, defende timentem,
Spes mea ſis, quando ſæua procella venit.
Denique quando premit ſubuerſum turba malorũ,
Tu mihi ſis illo tempore certa ſalus.
Ecce deus, mea vota tibi, mea vulnera pandi,
Me deus ad cæli regna beata vehe.

Alia ex eodem.

O Deus emolli cor, vt reſipiſcere poſſit,
Spiritus afflictus ſit, fugiensq́ mali.
Exhibeant oculi verum lachrymando dolorem,
Ac animi teſtis ſit mea dando manus.
O deus accenſas carnis reſtinguito flammas,
Et tuus in noſtro pectore flagret amor.
Gratia debellet faſtum, manſuete redemptor,
Mens ſummiſſa mihi ſit, metuensq́ tui.
Irarum tollas æſtus, ſeruator Iësu,
Quicquid erit duri, mens patiendo ferat.
Non odium noſtro conſidat pectore fixum,
Tota mihi mens ſit candida, felle carens.
Da mihi, ſumme pater, fidei impenetrabile ſcutũ,
Spes animo maneat conſtabilita meo.

Semper

Semper amor fratrum tantus mea corda pererret,
Illis vt prosim, non secus atque mihi.
Non ego sim vanus, nec mens incerta vacillet,
Nec peregrinetur cor leuitate vagum.
Sermo verecundas fugiat scurrilia verba,
Prætereà fastu lumina nostra vacent.
Ingluuies ventris, spargendi falsa libido,
Moribus omnino sint aliena meis.
Non ego detractor, nec opũ sim magnus amator,
Nec quid agant alij, sit mihi scire labor.
Gloria nec fuco mentem titillet inani,
Dissimulatoris fraude carere velim.
Cura mihi maneat, quæ debet fratris egeni,
Et manus infirmos subueniendo leuet.
Denique non miseram claudat blasphemia vitam,
Hoc scelus horrendum, spe veniaq́ caret.
Ne temerè per iniqua ruam, me, summe creator,
Dirige, sit menti pax requiesq́ meæ.
Excute torporem, destilla mentis acumen,
Flexilis ac animus prouida verba notet.
O pater, obtestor te, natum propter Iesum,
Effice clementem me, rogo, redde pium.
Sic & amabo tuum nomen, numenq́ timebo,
Sic etiam læsis fratribus ipse querar.

Fastus

Fastus & absistat fratres contemnere promptus,
Aggreger ad iustos, auferar atq; malis.
Fac, vt in aduersis rebus patientia constet,
Rebus & in lætis, mens moderata detur.
Lingua malo careat, quo contra numina peccem,
Vel contra fratres, quo reus esse queam.
Gratia cœlestis minuat mihi gaudia mundi
Lubrica, quæ parui temporis aura tenet.
Gratia cœlestis Christi me quærere regnum
Permoueat solum, quod sine fine manet.

Quibus rebus consistat vera precatio.

VT pia diuinas oratio manet ad aures,
Sex ea præcipuas debet habere notas.
1 *Sit stabilita fide, nec in vlla parte vacillet,*
2 *Sit breuis, & fugiat tædia longa moræ.*
3 *Et vehemens animi magno feruore feratur,*
4 *Ac repetat varias multiplicata vices.*
5 *Nomina per Christi, placemus numina patris,*
6 *Plena sit officio vita, malo q; vacet.*

De ratione recte constituendæ vitæ.

VT tibi præceptis mens confirmetur honestis,
Sex animo semper sunt repetenda tuo.

1 *Prin-*

1 Principio deus est noster seruator, & author,
2 Hostis in opposita stat regione, Sathan.
3 Tertia res præsens est vita, simillima ventis,
4 Mors sequitur, nobis quæ propè semper adest,
5 Ordine sunt quinto, cæli palatia summi,
6 Tartara sunt sexto constituenda loco.
Hæc animo tacitè secum qui sæpè reuoluit,
Miror in hoc, vitij si quid inesse potest.

De vindicta diuina.

VLtio peccatum sequitur, delinquere noli,
Nam scelus admissum pœna seuera premit.
Quod si fortè dei clementia differat iram,
Sera licet veniat, certa venire solet.
O nimium fœlix, hæc quisquis vera putabit,
Et timet irati fulmina iusta dei.

Contra Euangelicorum hostes, precatio.

SVrge deus, dextra seruos attolle cadentes,
Impius irato fulminat ore Satan.
Tempora terribili iactantur dira tumultu,
Vi trahitur virtus, induit arma furor.
Lex oppressa silet, regnat pro iure libido,
Fastus & insanis territat astra minis.

Nos, tua progenies, Christi quos gloria tangit,
Qui colimus vero nomen honore tuum,
Cædimur, & trahimus per mille pericula vitam,
Vndiq; nos agitat sanguinolenta manus.
Strangulat hos laqueus, rota ferrea dilacerat illos
Pars perit in flammis, obruta pars in aquis.
Hîc gladios, illîc vibrat tormenta tyrannis,
Et varia tepidam strage cruentat humum.
Quis furor, ô fratres, tantas excuscitat iras?
Vndè venit nostri sanguinis ista sitis?
Est pater in cælis vnus, seruator & vnus,
Vna caro est, vnum nomen, & vna fides.
Vincula sed pacis, matrum discordia rumpit,
Proh dolor, ex isto tot mala fonte fluunt.
Nos colimus matrem cælesti patre creatam, Primitiua Ecclesia.
Quam sibi pro chara coniuge, Christus habet.
Cuius ab vberibus suxerunt verba Prophetæ,
Cuius erat sobales, turba vetusta patrum.
Christus eam veniens tenera nutriuit amore,
Discipulis eius cura relicta fuit.
Huius erant matris testes, & Apostolus omnis,
Et veteri quisquis tempore Martyr erat.
Huius adhuc durant custodes Biblia sacra,
Quæ stabilem faciunt inuiolata fidem.

Moribus ista pijs incorruptissima mater
Floruit, ad sponsum respiciendo suum.
Sancta, benigna fuit, clemens, & plena pudoris,
Officij retinens, integritatis amans,
Omnia distribuens, condonans omnia, verax,
Immemor offensæ, sed benefacta notans,
Denique virtutis mater fuit ista repertrix,
Atque manet vitæ fixa columna piæ.

Ecclesia Romana.

Altera nomen habet matris, Romana nouerca,
Sol nihil hoc monstro tetrius esse videt.
Fastus inest, luxuq́ fluit, sectatur honores,
Cura boni non est vlla, nec vlla dei.
Verborum fumos, & rerum venditat vmbras,
Atque nisi fucum nil pietatis habet.
Ipsa sibi leges ponit, positasq́ retexit,
Helluo nummorum, munera magna vorat.
Se iubet orari, coram se prona iacere
Omnia, quantumuis aurea sceptra gerant.
Degener hoc animal sanctorũ sanguine gaudens,
Membra venenato sauciat ore dei.
Pelle lupam, reuerende pater, quæ dente cruento,
Dilacerat sparsos, non saturata, greges.
Te sequimur, sponsamq́ tuam, tua iussa tenemus,
Integra de cælo, spesq́, salusq́ venit.

Summè

Summe deus, tua nos miseros clementia seruat,
Vnicus es pastor, nos & ouile sumus.
Prospice de cælo, tumidos dispersde gygantes,
Sacrilega cupiunt vi tua templa rapi.
Nos licet indigni, Christum tamen aspice dignũ,
Sanguine qui lauit vulnera nostra suo.
Dira nouerca fremit, vitiorum septa cohorte,
Nosq́, tuas, nullo vindice, mactat oues.
O deus, huc oculos ad seruos flecte ruentes;
Occidat in medijs impia turba minis.
Vel tua præteritam condonet gratia culpam,
Vna sit & nobis, vt fuit antè, parens.
Sic erit ex Saulo Paulus, sic bella sequetur
Tristia, iucundæ pacis amanda quies.
O vtinam dignos tali nos fœdere ducas;
O pater, ô noster ter venerande deus.

POEMATVM GVALTERI HADDONI, LIBER SECVNDVS.

Amatorium siue Carmen iuuenile.

QVem tibi dant cursum fortunæ vela secundæ,
Hic tibi, dum venti flant, capiendus erit.
Nam benè nunc spirans, si post fortuna reflarit,
Omnis erit votis ianua clausa tuis.
Sæpè dies dabit vna tibi, quod sumere velles,
Quod nisi tunc sumas non dabit vlla dies.
Tempus abit, tua vota manent, quod habere licebat,
Dum potes, haud cupis, at cum cupis, illud abest.
Euolat incertas quatiens occasio pennas,
Quâq; ijt, hac rursus non solet ire via.
Tempora cum nostris rebus sunt apta gerendis,
Omnia sublato sunt facienda metu.
Qui cupit è portu soluens conscendere nauem,
Quò reuocat ventus, flectere vela solet.
Qui sua mercator vult multum crescere lucra,
Tempora vendendis mercibus apta notat.
Miles in aduersos qui telum dirigit hostes,
Antè videt tempus vulneris, atque locum.

Tempori-

Temporibus certis medicus ſua pharmaca miſcet,
Tempora dicendi propria rhetor habet.
Tempora piſcator, ſua tempora nouit & auceps,
Tempora ſcindendi nouit arator humum.
Solus ego nauta ſum, mercatorq́; ſolus,
Milite ſum ſolus ſtultior & medico.
Ruſticus, & rhetor, vanus piſcator, & auceps,
Ingenium vincunt ſordida turba meum.
Tempus erat quando poteram placuiſſe puellæ,
Hei mihi quod non eſt, & quia tempus erat.
Tempus erat quando dominæ mihi iuncta volũtas,
Omnia quæ vellem, vellet & ipſa ſequi.
Tempus erat quando ſolus, totusq́; placebam,
Quando fui dominæ, ſpesq́;, decusq́;, meæ.
Tempus erat quãdo dulciſſima murmura fundens,
Conſeruit labris labra puella meis.
Tempus erat, quando mea me ſi forte puella
Aſpiceret, toto corpore mota foret.
Tempus erat, quando ſi ſolum nacta fuiſſet,
Venit in amplexus læta, lubensq́; meos.
O me fælicem nimium, bona ſi mea noſſem,
Tempore ſi ſciſſem ſe mihi dante frui.
Multa quidem volui, ſed cur non omnia feci,
Quò mea mens cupijt, cur vetat ire pudor?

O pudor infælix, cur nos disiungis amantes?
Cur facis ex vno pectore corda duo?
Sed neque solus erat pudor, aduolat altera pestis,
Quæ mihi te tollit, meq; puella tibi.
Dum ruit in collum virgo cultissima nostrum,
Oscula dum sua dat multa, capitq; mea,
Dum studijs ferimur Veneris, dum ludimus vnà,
Dum venit ad nullum cæca Cupido modum:
Deficit is ardor sensim sesecq; retexit,
Flammaq; quod fuerat, nunc propè fumus erat.
Subtraho paulatim me, suffurorq; puellæ,
Oscula quæ fuerant, nunc ea verba volant.
Senserat, atque caput virgo demittere cæpit,
Pallet, & aspectu proditur ipsa suo.
Aduoco, discedit, reuoco, se proripit intus,
Oscula vel non dat, vel quasi nulla daret.
O mea non vllas in partes pectora firma,
Cur mea mens nunquam se capere ipsa potest.
Antè quasi crapula, Veneris fastidia sensi,
Nunc quasi ieiunus sum, cupioq; cibum.
Sensit & hoc, moremq; mihi pulcherrima gessit,
Et redit ad nostrum, nostra puella sinum.
Sed tamẽ & dubitãs venit, & quasi nollet adesse,
O nimis ad luctus ingeniosa meos.

Sæpè

Sæpè quasi cupiat discedere, plurima dicit,
Sæpè meis manibus prensa, repentè fugit.
Hæc mihi calliditas, ardentes excitat æstus,
Quo magis hæc non vult, hoc magis ipse volo.
Hæc ego dum meditor, dum tota mente peragro,
Vt dominæ menti, mens sit amica meæ:
Exoritur subitò matris non dura seuerę,
Dura tamen nobis visa querela fuit.
Seuocat, & rogat, an liceat sibi quærere pauca,
O mihi quàm libuit dicere, quæso, tace,
Sed quia me captum vidi, ceruice reflexa,
Atque rubens dixi, hoc sit modò vt ipsa voles.
Incipit, vt facilè matronam agnoscere possis,
Sermo fuit, qualis matribus esse solet.
O vtinam sapiens minus, aut grauis illa fuisset,
Aut vtinam sapiens, & grauis ipse forem.
Mater ait, natæ rationem cogor habere,
Cuius ego fructus, commoda credo mea.
Dicitur hæc vxor tua vulgi voce futura,
Iną manum dicunt, hanc coijsse tibi.
Multa quidē multi narrant, mihi mira vidētur,
An mea iam nata, est vxor amabò tua?
Hîc ego deijciens vultumq, caputq, pudore,
Vix potui, non est, dicere, dico tamen.

Illa ſtatim recitat multorum facta dierum,
Fœmina tam meminit, quæ meminiſſe velit.
Tempora percenſet ludorum, colloquiorum,
Et quoties ſolos viderit eſſe ſimul.
Quomodo non vnquam noſtrũ turbauerit vſum,
Libera concedens gaudia, verba, iocos.
Tempus ait, nunc eſt tacitos expromere ſenſus,
Iam ſatis eſt ludo, delitijs q̃ datum.
Seria tractemus, vero mihi dicito vultu,
Qua ratione tibi filia noſtra placet.
Perplacet hæc, inquam, ſed nulla in fœdera veni,
Non ea congreſſus cauſa frequentis erat.
Neſcio quid titubans addit perplexa dolore
Lingua, nimis luctus cauſa parata mei.
Summa fuit, ſponſam non eſſe, nec eſſe futuram,
Hei mihi, quas turbas iſta futura dedit.
Impia vox ſcelerata, nequam, ſtupidiſſima, bruta,
Grammaticen vnquam me didiciſſe piget.
Væ mihi, væ libro, væ præceptoribus illis,
A quibus erudior poſſe futura loqui.
Intumuit mater, ſtimulis q̃ elata doloris,
Iurgia iam parat, & ſpargit acerba minas.
Ergo tibi quoniam non eſt mea nata futura
Vxor, in his poſthac ædibus, hoſpes eris.

Obterit

Obterit is rumor famam natæq́, tuamq́,
Non decet vt fruſtrà talia verba volent.
Filia multorum votis optata procorum,
Quem vult ex multis eliget. Ergo vale.
Hæc vbi, me toruè ſpectans, effata fuiſſet,
Auribus aut quæ ſunt talia viſa meis,
Illico diſcedit mihi mens, & lingua ſtupebat,
Et, quaſi me ſomnus deliget, aſto tacens.
Protinus, vt memet collegi, ſede relicta,
Exilui, multum triſtia fata querens.

Scotia debellata.

ANglia cantet Io, claris euecta triumphis,
Cantet Io, Scoticis ſubuerſis Anglia rebus.
Euge Scotus cecidit, vi debellatus, & armis,
Nũc cecidit, rapitur, trahitur, nũc Anglia vincit,
Anglia præſtanti nunc præſtantiſſima rege,
Anglia regina florens, & milite ſummo,
Anglia quæ ducibus magnis, & milite forti
Affluit, & partas poſt ſe trahit inclyta terras.
Nobilis ingenio gens, Anglia, nobilis armis,
Anglia nunc lætis effundat gaudia rebus.
Sæpè Scotos fregit, fractos & ſæpè fugauit,
Anglia nunc fractos ſtrauit, ſtratoſq́ peremit.

Sæpè

Sæpè resurrexit clades oblita priores,
Sæpè relicta Scotus victus remeauit ad arma,
Nunc iacet, & nostro semper sub rege iacebit.
O homines, ô gens semper durissima flecti,
Heu quoties vobis rex clementissimus vnus
Parcit, & inducto sanciuit fœdere pacem.
Heu quoties miseri, perrupta pace, fideq́, ,
Arma resumpsistis, vobis funesta futura,
Et patriæ vestro vitio, culpaq́, , ruenti.
Discite nunc tandem regi seruire Britanno,
Anglia quo fœlix fœlici rege triumphos
Sæpè tulit claros, & nunc fert, sæpè feretq́, .
Viuat rex, regum lumen, reginaq́, viuat,
Viuat & eximius princeps, viuatq́, Senatus.
Anglia postremò concisis inclyta Francis,
Vlta Scotos, Francosq́, domans, inuicta sit armis,

De Edouardo principe.

Exigit eximios, princeps clarissime, versus,
Debita virtutum meritis laus summa tuarum.
O puer excellens, patriæ flos, gloria patris,
Viribus ipse tuis, ô princeps maior, & annis:
Alta deus regni prouidit sceptra futuri,
Regis honorandi princeps vt nobilis esses.

Dotibus

Dotibus egregijs tibi mens conferta relucet,
Vt generi ſummo par ſit natura beata.
Sic ſtirpem virtus, virtutem ſtirpsq; ſequetur.
Perge puer, patris diuini gemmea proles,
Rumpe moras, extolle tuos, puer auree, vultus.
Ito per inſignes, inſignior ipſe, triumphos,
Naturam patris, fortunam, pectus, & annos,
Clara dehinc tibi regna patris, ſed ſera, precamur.
Eſt pater, eſt regnum, par eſt inſigne ſororum.
Per multos annos, momentaq; maxima rerum,
Sit tua, ſit generisq; tui fortuna beata.

De triumpho propter pacem ſuſcepto.

TEmpora temporibus ſuccedunt proſpera duris,
In medias lachrymas gaudia magna cadũt.
Horrida præteriti ſanantur vulnera belli,
Occupat & veterem pax reuocata locum.
Impia ſerrati conſedit militis ira,
Nec tuba dat vaſto murmura rauca ſono.
Non quatiunt muros bombardæ fulmina diræ,
Barbarus in cultos non ruit hoſtis agros.
Triſtia non metuunt natorum fata parentes,
Non metuit formæ damna puella ſuæ.

Horrea

Horrea ſecurus diſtendit plena colonus,
Adnatat ex omni merx ſine clade loco.
Non hominum iugulos gladiator percutit audax,
Imbuit armatas nulla rapina manus.
Ferrea ſanguinei ceciderunt prælia Martis,
Obruta bellorum fax, ſine luce, iacet.
Aurea ſe paribus librans concordia pennis,
Colligat in ſtudium pectora noſtra pium.
Intrat in eximias vrbes, & rura peragrat,
Nobilis à cæli pax reuoluta polo.
Feſta volat ſtudijs pax optatiſſima noſtris,
Quaq; venit plauſus, lætitiamq; vehit.
Sceptra tenens ſolio ſe pax imponit auito,
Et fora perfundens corda quiete rigat.
Omnia floreſcunt, tellus, & pontus, & aër,
Commoda tranquillæ maxima pacis habent.
Claſſica qui tenuit claro reſonantia ferro,
Ponitur ad cultæ dulcia plectra lyræ.
Peruigil in caſtris tota qui nocte cubabat,
In propria lectum nunc habet ille domo.
Qui metuens alios, author fuit ipſe timoris,
Vulnera nulla capit, vulnera nulla facit,
Sanguine mercedem qui collegere cruentam,
Ex opibus viuit turba quieta ſuis.

Alea quos pauit, quos nutrijt impia cædes,
Nunc facit hos propriùs viuere posse labor.
Mutua funestis sternentes corpora campis.
Mutua concordi commodà mente parant.
Humida, quæ fuerat multorum cæde virorum,
Incipit in segetes terra redire nouas.
Atq; cadaueribus proiectis, nubilus aër
Sese aperit, cupiens quo fuit esse statu.
Pontus erat totus telis constratus, & armis,
Nunc mare propitio flumine vectat opes.
Omnis erat classis periuro milite plena,
Nunc socios iungit classis amica viros.
Denique Saturni perierunt tempora dira,
Et viget hæc ætas principe digna Ioue.
O deus, ô vero qui nomine Iupiter esse
Diceris, in celsa qui præis arce poli,
Summe deus, venerande deus, spes vnica vitæ,
Cuius ab æterno numine cuncta fluunt:
Quòd tua sustulerit nostros clementia luctus,
Horrida quòd pacis prælia vincit amor,
Marte quòd extincto, nos mutua fœdera iungũt,
Quòd peregrina venit pax renouata domum:
Supplice quanta potest tibi gloria voce rependi,
Sancta tibi nostro manat ab ore deus.

Summe

Summe deus, pacem, noſtros miſerate labores,
Qui facis, hanc facias poſſe manere diù.
Proximus es Chriſto, rex præſtantiſſime regum,
Nominis octauum qui diadema geris.
Sit tua maieſtas, rex inuictiſſime, ſalua,
Cuius ineſt omnis noſtra ſalute ſalus.
Gallia te, noſtra cauſa, conſpexit in armis,
Anglia te lætum, eſt lætu ſequuta ducem.
Nunc populi verus paſtor, poſt bella remota,
Das iterum pacis iura quieta ſacræ.
O decus armorum, claris Henrice triumphis,
O etiam puræ gloria prima togæ:
Viue diù fælix, fælices viuere ſeruos
Qui facis, ô regni dux patriæq; pater.
Sis etiam fælix Noruici turba beata,
Commoda quæ regni pacis alumna foues.
Quas ego te vidi lætam iactare corollas?
Gaudia quæ vidi? quanta trophæa tua?
Templa, domus, vici, pretioſo ſplendida cultu,
Muſica præclaro ſparſa ſonora foro.
Canitie veneranda cohors, florensq; iuuentus,
Signa dabant animi commemoranda pij.
Digna tuis certè pax eſt præclara triumphis,
Atque tuus dignus pace triumphus erat.

Nos

Nos deus, & regnum, regemq; in pace gubernet,
Et Noruice tibi commoda multa ferat.

De pace Britannica anno primo Edouardi sexti.

TEnde deo latas, ô fœlix Anglia, palmas,
Anglia concordi gens fœliciſsima pace.
Gallia bellorum ſæuis concuſſa procellis,
Horrida ſanguinei deponit fulmina Martis.
Et tandem ſapiens, Scotiæ vicinia facta,
Optatæ cæpit paci ſummittere faſces,
Aurea ſupremo veniens concordia cælo.
Salue dux noſtris ô præſtantiſsima rebus,
O ſalue niueis pax formoſiſsima pennis,
Grata deo, iucunda viris, terræq; mariq;
Tempeſtiua, tuos quæ fundis ad omnia fructus.
Obſita funeſtis bellorum nubibus omnis
Anglia perplexis fuerat depreſſa tenebris.
Hinc Scotus inſiluit, iacit illinc fulmina Gallus,
Mœnia bombardis quatiens amiſſa cruentis.
Sed tamen & bello fœlix, & pace beata
Viribus vſa ſuis, ſe nobilis Anglia texit.
Gallia pone minas, communia fœdera iunge,
Vicinusq; Scotus, vicinos diligat Anglos.
Pande ſinus, reſeraq; tuos pax gemmea vultus,

Virtutis

Virtutis cuſtos, & relligionis alumma.
O deus, ô veræ pacis venerabilis author,
Cuius ab æterno concordia numine fluxit,
Fac maneat ſtabilis, fac robur tempore ſumat,
Quæ venit ad noſtram pax diuiniſſima gentem.
O deus, aſſerua regem, regisq; ſenatum,
Et fac perpetuos concluſæ pacis alumnos.

Perpetua eſt mutatio tum animi, tum corporis.

LVbricus incertis iactatur motibus orbis,
Poſteriora nouos apportant tempora caſus.
Ipſe homo, diuinum, ſolers, ratione refertum
Eſt animal, partes & circumſpectat in omnes.
Sydereis mens lapſa polis, eſt numine plena.
Iungitur humorum concordi ſemine corpus.
Ordine membrorum præſtans, formaq; decore.
Tempora ſed tacitis præterlabentia pennis.
Forma ruit, vires languent, artusq; fatiſcunt.
Sanguine miſcetur bilis, bilisq; cruore.
Frigida viſcoſam fundit pituita ſaliuam.
Liuida tum febris, gregibus comitata dolorum,
AEſtibus interdũ flagrans, modò frigore torpens,
Agmina ſuccedunt morborum multa nouorum,
Hæc caput infeſtant, & tentant ſæua cerebrum,

In

In manibus quædam volitant, in poplite quædam
Conſidunt, omnes in partes corpora verſant.
Hæc iugulis hærent, hæc vſque ad pectora manãt.
Dura fames ventrẽ premit, & ſitis arida guttur
Vrit, & in tacitos labuntur lumina ſomnos.
Succedunt operæ ſomno, curæq́ quieti,
Triſtia iucundis miſcentur, proſpera duris,
Atque adeò toto nihil eſt in corpore firmum.
Mens magis ipſa ſibi diſſentit, concipit audax
Vota, per ancipites fertur non territa caſus.
Cum timet, exiguos pauet exanimata ſuſurros.
Nunc amat, ac orbem totum poſtponit amori,
Orat, & oratur rurſus, terretq́, timetq́,
Cogitat, & meminit, quæ ſunt præſentia curat,
Præteritos voluit caſus, voluitq́ futuros.
Ergò deus mentes nobis, & corpora iunxit,
Per quæ continui fluxus, motusq́ peragrant.

Quæ fieri non poſſunt, ne concupiſcas.

QVi vult eſſe miſer ſuapte ſpontè,
Hunc verè miſerum licet vocare,
Ergò, qui ſibi multa concupiſcunt,
Quæ nulla ratione comparari
Poſſunt, hos miſeros licet vocare.
Nam ſunt hi miſeri ſuapte ſpontè.

Teipſum ne negligas.

MVlta quidem multis tribuamus, at oĩa nobis,
Ille ſapit verè, qui ſapit ipſe ſibi.
Propria natura quæ ſunt, ſint propria fructu,
Sitq; tibi ſemper maxima cura tui.

Talis ſit quiſque, quales ij ſunt, quibuſcum viuit.

SI cum bonis viuunt viri,
Qui nec boni ſunt, nec mali,
Ii ſunt citò boni viri.
Si cum malis viuunt viri,
Qui nec boni ſunt nec mali,
Ii ſunt citò mali viri.
Si cum bonis viuunt boni,
Vtrique fiunt optimi.
Si cum malis viuunt mali,
Vtrique fiunt peſſimi.
Sic & boni faciunt bonos,
Sic & mali faciunt malos.
Ergo bonus ſi vis fieri,
Cum his viuito, qui ſunt boni.
Rurſus malus ſi vis fieri,
Cum his viuito, qui ſunt mali.

Cogimur

Cogimur ad ſuſcipiendum Pub. munera.

ESt homini cognatus homo, mẽs omnibus vna,
Diſpar doctrinis, diſcendi munere par eſt.
Corpora corporibus reſpondent, ſenſus eadem
Itq́, reditq́, via, ſimili ſunt ordine membra.
Nec magis ipſa ſibi ſimilis res vlla videtur,
Quã ſimiles natura viros, facit omnibus omnes.
Quos igitur iunxit, naturæ prouida cura,
Fœdere perpetuo iungat ſententia concors.
Nemo ſuum quærat, nec enim ſibi naſcitur vllus,
Commoda communi tractemus publica mente.
Ponderibus librata ſuis, & robore florens,
Priuatis certos fundit reſpublica fructus.
Saucia cum fractas perdit reſpublica vires,
Singula cum toto labuntur corpore membra.
Prouidet, has vitans plagas, ſapientia iuris,
Vt qua quiſque poteſt communia munera parte
Suſcipiat, nec ab his vlla ſe ſegreget arte.
Prætor enim iuſſus, vel conſul Titius eſſe,
Vel iudex, fruſtrà de ſe depellit honorem.

Ad Eliſabetham principem.

FOElix rege parente virgo, fœlix,
Fœlix principe fratre virgo, fœlix,

Fælix & Maria tua ſorore,
Fælix relligione puriore.
Fælix moribus, innocentiaq́,
Fælix corpore, mente virgo fælix.
Fælix Eliſabetha quæ fuiſti,
Fælix ſis ſene patre rege poſthac,
Fælix principe fratre grandiore,
Fælix coniuge ſis tuo futuro,
Fælix prole, ſcientiaq́ fælix,
Fælix corpore creſce, mente creſce,
Fælix Eliſabetha ſic maneto.

Ad Suffolcienſem ducem.

CORpore non poſſum, ſed poſſum mente venire,
Qua licet, hac venio, dux venerande via.
Omnibus in rebus me preſſit morbus acerbè,
Sed tamen in vobis durior ille fuit.
Nam neque, cum vellẽ, poterat me frater habere
Carolus, ingenio clarus, & arte, puer.
Nec te nunc præſens præſentem cernere poſſum,
Cuius ineſt formæ, forma decora patris.
Exulat ex oculis etiam, lectiſſima mater,
Fœmina doctrinæ vera figura piæ.
Ferreus ô morbus, qui tot mihi commoda tollit,
Omnibus officijs qui mihi claudit iter.

Opto

Opto tamen vobis, & matri cuncta ſecunda,
Et maneat veſtrum, me pereunte decus,
I modò charta, meæ fidiſſima nuncia mentis,
Corporis & cauſam fac ſapienter agas.

In Marcum Tullium Ciceronem.

O Decus, ô ſplendens Romanæ gloria gentis,
Virtutis ſpecimen, vitæ præceptor honeſtæ.
O Cicero doctos inter doctiſſimus omnes,
Cur tua, temporibus noſtris, non iuncta fuerunt?
Cur tua non licuit præſentes ora videre
Præſentis? cur non tecum nos viximus vnà?
Cur tua verba deus ſacrum non vertit ad vſum?
Cur tua non venit ſeruator Chriſtus in ora?
O quantùm noſtram iuuiſſes relligionem?
Gloria quanta deo, per te, quæſita fuiſſet?
Viuere dignus eras, noſtris, ô Marce, diebus,
Digna fuit rebus ſummis facundia ſumma.
Sed quoniam deus, hoc nunc ſic effecit vt eſſet,
Quod domino placuit, nobis placet, ergò valeto.

In eundem.

VIS eloquentiam tibi?
An vis ſapientiam dari?

Vtramque Tullius tibi,
Solus dabit facillimè.

In eundem.

QVi simul prudens velit, & disertus
Esse, præsentes peragret libellos.
Sic enim prudens, simul & disertus,
Efficietur.

Ad nobilem quendam puerum.

ACcepi paruum, tibi paruum mitto libellum,
Vtq; tuus nouus est, sic tibi mitto nouum.
Das mihi Germanum, Germanum reddo vicissim,
Vt tuus est Varius, sic etiam meus est.
Non dubito magnũ studium quin paruus haberet
Hessus, item Charion plenus amore venit.
Fælicem fælix annum iubet esse poëta,
Historiæ Charion imperat author idem.
Ergò liber libro respondet, votaq; votis
Conueniunt, annus par sit vtrique nouus.
Sic ego præclarus prodibo repentè poëta,
Sic & in historia, te licet esse ducem.
Cresce puer, versaq; manu virtutis auitæ
Maxima, quæ præsens dat, monumenta, liber.

Nam

Nam Charion patrios repræsentat q; labores,
Maioremq; tuo te docet esse patre.

De Musica.

MVsicen primùm docuit voluptas,
Musices auxit studium voluptas,
Musices vsum retinet voluptas,
Gaudia fundens.
Musicen lusit placidus Cupido,
Musicen lusit Cytherea mollis,
Musicen lusit cithara suaui
Clarus Apollo.
Musice mentes tenuit virorum,
Musice sensus tenuit ferarum,
Musice montes, & aquas, & ornos
Sede remouit.
Musice summis dominatur astris,
Musice terræ dominatur imæ,
Musice ponto dominatur alto,
Cuncta pererrans.
Musice mentis medicina mœstæ,
Musice multum minuit malorum,
Musice magnis, medijs, minutis
Maxima mittit.

VXOR NON EST DVCENDA.

OMnis ætatis comitem proteruam,
Omnium morum sociam dolosam,
Omnium rerum dominam superbam,
Sumere durum est,
Quæ tuum secum cupiat dolorem,
Quæ tuas risu lachrymas sugillet,
Quæ minas, fletus, & acerba tecum
Iurgia tractet,
Quæ tuam pœnam redimat salutis
Propriæ lucro, pariatq́; prolem,
Quæ patris falso titulum sonabit
Ore, molestum.
Quæ tuas iras, strepitus inanes,
Quæ tuas voces, sine mente verba,
Quæ tuos lusus, aconita dira
Credere possit.
Quæ tuas muris putet esse vires,
Quæ tuos corui putet esse cantus,
Quæ tuas musas putet esse agrestis
Carmina Fauni.

Quæ

VXOR EST DVCENDA.

Omnis ætatis comitem perennem,
Omnium morum ſimilem ſodalem,
Omnium rerum dominam fidelem
Sumere ſuaue eſt.
Quæ tuum tecum doleat dolorem,
Quæ ſuas tecum lachrymas profundat,
Quæ iocos, riſus, & amæna tecum
Gaudia tractet.
Quæ tuum vultum redimat ſalutis
Propriæ damno, pariatq; prolem,
Quæ patris nomen tenero ſonabit
Ore, iucundum.
Quæ tuas iras, Iouis eſſe fulmen,
Quæ tuas voces, Iouis eſſe nutus,
Quæ tuos luſus, Iouis eſſe nectar
Credere poſſit.
Quæ tuas Martis putet eſſe vires,
Quæ tuos Phœbi putet eſſe cantus,
Quæ tuas muſas putet eſſe ſacras
Palladis artes

Quæ

Quæ tuam linguam putet esse ranæ,
Quæ tuas vrsi putet esse carnes,
Quæ tuum scrophæ timidæ pedorem
Iudicet esse.
Quæ tibi charos Stygia palude,
Quæ tuos fructus Acheronte nigro,
Quæ tuam vitam magis expauescat
Manibus ipsis,
Vxor temporibus, moribus, & locis,
Naturam variè distribuit suam,
Nunquam prospiciens coniugis vsibus.
Ergo si tibi vis omnia progredi,
Vitæ perpetuo fac careas malo.

PRÆCEPTA COIVGII. MARITI POSTVLATA.

VXor, si cupias mihi placere,
Semper prima dei, secunda nostri,
Tum sit tertia cura liberorum.
AEdes fac sine sordibus nitere.
Mensæ prospice, prouide puellis.
Vultu sis hilari, tamen modesto.
Mores sint faciles, tamen pudici.

Vestis

Quæ tuam linguam putet Hermis ora,
Quæ tuam formam Veneris figuram,
Quæ tuum ſacræ Triuiæ pudorem
Iudicet eſſe.
Quæ tuos hoſtes Stygia palude,
Quæ tuus clades Acheronte nigro,
Quæ tuum funus magis expaueſcat
Manibus ipſis.
Vxor, temporibus, moribus, & locis,
Naturam variè diſtribuit ſuam,
Semper proſpiciens coniugis vſibus.
Ergò ſi tibi vis omnia progredi,
Vitæ perpetuo ne careas bono.

PRÆCEPTA CONIVGII.

VXORIS RESPONSA.

MI vir, ſi mihi charus eſſe curas:
Me ſolum colito quaſi teipſum.
Sic tu proximus es deo futurus,
Sic noſtros ego liberos fouebo,
Fac vt tuta domus ſit, & ſalubris.
Nec deſint ea, quæ requirit vſus.
Exercere tuos ſtude miniſtros.

Sit

Veſtis ſobria ſit, vacetq; labe.
Cum lætus fuero, dolere noli,
Nec cum triſtis ero, decet iocari.
Et quemcunque vides mihi placere,
Fac hunc eſſe tibi putes amicum.
Quicquid dixero, ne palam refelle.
Clam, quod diſplicet, admonere debes.
Arcanum tibi ſi reuelo, cela.
Nec te ſuſpicio ſiniſtra vexet.
Si te læſero, vulnus indicabis.
Me ſi commoueas, fatere crimen.
In lectum veniat nihil querelæ.
Somnus ſit modicus. Precare manè.
Cum ſurrexeris, occupata viue.
Non credes nimium, parum loquêre.
Nec coram tibi diſputare fas eſt.
Reſponſare caue, caueq; murmur.
Te coniunge bonis, malos relinque.
Sit vitæ probitas, fides q; linguæ.
Morum denique ſit pudor magiſter.
Hæc ſi feceris, in ſinu iacebis.

Sit comis tibi vox, sit os serenum.
Si vis temporibus tuis vt vtar:
Et tu tempora nostra scire debes.
Quantum vis tribui tuis amicis,
Tantum fac tribuas meis amicis.
Seruis iurgia dura fac reserues:
Et me leniter admoneto solam.
Mecum liberius licet iocari,
Nec me reijcies nimis seuerè,
Tecum lætior esse, si requiram.
Et me non satis est tibi placere,
Sed sciri volo te bonum maritum.
Me si non sinis esse suspicacem:
Causam suspicionis amoueto.
Quantumcunque dies tulit laborum,
Nox secum placidam ferat quietem.
Non abs is temerè domo, diuuè.
Quicquid pollicitus procus fuisti,
Nunc præstare maritus id memento.
Si me Penelopen habere speras,
Fac vt te mihi præbeas Vlyssem.

Ex Anglico in Latinum.

Sobria virgo, sibi quæ vultu mente q̃ constat,
Et Iuuenis frugi, veneris naufragia vitans,
Fidus, & aduertens cõiunx, non peßima credẽs,
Et mulier prudens, tractabilis, atque pudica:
Quatuor hæc quærunt omnes, vix repperit vllus.
Maxima sic nostræ bona sunt rariſsima vitæ.

In rebelles Norfolcienſes.

Occasura tuo, Norfolcia cæca, furore,
Quæ rabies humeris induit arma tuis?
Impetus à solita quis torsit corda quiete?
Quis grauis astrinxit pectora dura stupor?
An quia vicinos fregit vis vestra colonos,
Sparsaq̃ sunt subitis oppida pauca minis?
Angulus an vnus quia tecum fœdera iunxit,
Venit & ad prædas nuda caterua nouas?
Propterea latè regni volitare per oras,
Ausa es, & in summo celsa sedere loco?
An, quia digna tuo tardabat crimine pœna,
Distulit & clemens iusta flagella deus?
Idcircò dormire deum, regemq̃ putabas?
Et quia sera forent verbera, nulla fore?

Desine

Desine vana tuis promittere gaudia rebus,
Numinis irati fulmina celsa time.
Horrisono venit tempestas magna tumultu,
Incidit in vestrum plaga cruenta solum.
Feruidus irarum tristes effudit habenas,
Quaq; venit, latè funera mæsta facit,
Ille Comes, ille, ille Comes Dudleius heros,
Et Varuicensis gloria summa soli.
Hunc præclara cohors animis insignis, & armis
Insequitur, ducibus subdita quæq; suis.
Quid faciat miserũ vulgus? quò terga reflectat?
Nunc via prostratis nulla salutis erit.
Latebra non abdet montis, non sylua recondet,
Vndique te vindex implicat ira dei.
Pone animos vulgus miserandũ, tendito palmas,
Sæpè truces frangunt lenia verba minas.
Proïce ferratos fustes, adrepito supplex,
Vis eat, & virtus barbara corda domet.
Sit licet horribilis vestri violentia motus,
Fortè ducis nostri gratia maior erit.
Gratia fortassis, quantumuis maxima, vincet
Crimina, si veniam, quo decet ore, petas.
Spiritus ille ferox, & ad omnia iura rebellis,
Vultibus ex vestris pectoribusq; migret.

Discite

Discite tranquillam pacem, dediscite bellum,
Discite plebs, plebem quo decet esse loco.
Tu verò regni, rex inuictissime, nostri,
Tuq; simul summi, turba beata, ducis:
Patria læta sinus pandens vos excipit omnes,
A quibus est patriæ publica parta quies.

Ad Purium.

CArmen tibi fælix fluit,
Annus tibi fælix fluat.
Annus nouus si sit tibi
Fælix, mihi fælix erit.
Artes putas veras opes,
Ego dabo veras opes.
Artes enim dabo tibi.
Purum tibi puro, Puri,
Librum dabo multiplici
Scientia præstabilem.
Tantùm stude quantùm potes,
Tantùm potes quantùm velis.
Sic, mi Puri, fælix eris,
Et sic ego fælix ero.
Quia tuos fructus meos
Puto futuros, mi Puri.

Ad N. I.

MVnera si fauſtos annos tranſmittere poſſunt,
Et venit ex paruo gratia tanta loco:
Munera muneribus coniungat amicus amicis,
Sic ibit fælix annus vtrique nouus.

Ad I. N.

AVſpicium fælix, venturi mittimus anni,
Auſpicium, ſolo quod valet auſpicio.
Exiguum pretio, ſed votis diues habebis
Auſpicium, ſolo quod valet auſpicio.

Ad D. Edmundum Brudnellum.

FErtilibus fælix agris, opibuſq; beatus,
Fælici fælix coniuge, prole, domo,
Et ſtudijs fælix, quæ dat tibi muſa prophana,
Et ſtudijs, affert quæ ſacra muſa tibi,
Præteritis fælix annis, Brudnelle, recente
Sis fælix anno, quem vehit iſta dies.

Ad D. Coxum.

VIx caput attollens è lecto ſcribere carmen
Qui velit, is voluit ſcribere plura, vale.

Resp. D. Coxi ad Haddonum.

TE magis optarem saluum, sine carmine fili,
Quàm sine te saluo, carmina multa, vale.

In Anglicam Dialecticam Thomæ Wilsoni.

GRammatice lingua nos est affata Britanna,
Curreret vt latijs lingua Britanna rotis.
Nunc Logice venit, & nostris se vocibus affert,
Vt ratio nostros possit habere sonos.
Ante peregrinis linguis instructa fuisti
Anglia, nunc propria discere voce potes.
Grammaticen laudant omnes, quia verba poliuit:
Qualis erit Logice nos ratione regens?
Attulit hãc nostras Thomas VVilsonus ad aures,
Vtilis & patriæ sic fuit ille suæ.

In Anglicam Rhetoricam eiusdem Thomæ Wilsoni.

RHetoricen, Logices soror est affata sororem,
Quem didicit nuper, sermo Britãnus erat.
Rhetorice tacuit, magno perculsa dolore:
Nam non dum nostro nouerat ore loqui.
Audijt hæc, Logices VVilsonus fortè magister
Qui fuerat, nostros addiderat q; sonos.

Rhetori-

Rhetoricen mutam, verbis ſolatus amicis,
Seuocat, & rogitat num eſſe Britanna velit?
Deijciens oculos reſpondit velle libenter:
Sed ſe, qua poſſit, non reperire, via.
Ipſe vias, inquit, tradam, leges q; loquendi,
Quomodo perfectè verba Britanna loces.
Liberat ille fidem, noſtro ſermone politur
Rhetorice, noſtra eſt vtraq; facta ſoror.
Anglia, nobilium ſi charus ſermo ſororum
Eſt tibi, ſermonis charus & author erit.

In librum partitionum ſagittariarum Rogeri Aſchami.

Mittere qui celeres ſũma velit arte ſagittas,
Ars erit ex iſto ſumma profecta libro.
Quicquid habent arcus rigidi, neruiq; rotundi,
Sumere ſi libet, hoc ſumere fonte licet.
Aſchamus eſt author, magnũ quem fecit Apollo
Arte ſua, magnum Pallas & arte ſua.
Docta manus dedit hũc, dedit hũc mẽs docta libellũ
Quæ vĩdet ars, vſus viſa parata facit.
Optimus hæc author quia tradidit optima ſcripta,
Conuenit hæc nobis optima velle ſequi.

In librum Alchymiæ Thomæ Nortoni Briſtolienſis.

MAximus ingenio, ſcribendi maximus arte
Thomas Nortonus, primarum ſemina rerũ,
Atque metallorum venas tellure ſepultas
Eruit, ac imæ ſubit intima viſcera terræ.
Mellea ſecretos promit facundia ſenſus,
Atque vias omnes cudendi colligit auri.
Ars licet hæc, auri fontes opulenta recludat,
Attamen eſt auro longè pretioſior author.

In nuptias Rodolphi Rouleti, & Thomæ Hobei, qui duas D. Antonij Coci filias, duxere vxores eodem die.

MArgaritam Roulete tuã fac mente recõdas,
Gemma ſit vt tuto tam pretioſa loco.
Sit frater fratri ſimilis, ſit filia patri,
Sic vir erit dignus coniuge, ſponſa viro.

Virtute non vi.

VIs trahit inuitos, virtus facit eſſe volentes,
Vis furit, at virtus cum ratione mouet.

Corpore

Corpore vis regnat, virtus in mente triumphat,
Vis pecudes, virtus nos facit esse viros.
Vis igitur valeat, virtus super omnia vincat,
Aut vis virtutem, serua sequatur heram.

In ædes Apthorpianas D. Gualteri Mildmaij.

DVratura domus iusti sit fida ministra,
Et statuat certum sumptibus illa modum.
Vicinis faueat, causas defendat honestas,
Pellat auaritiæ sordida lucra procul.
Subleuet oppressos, tenues, & pascat egenos,
Et propè sit virtus, vis inimica migret.

Hominum ætates.

IN cunis infans sine sensu, & mente recumbit,
Indè puer leuitate sua bona tempora perdens,
Post adolescentis temeraria cernitur ætas,
Et ruit in luxum iuuenis, vir captat honores,
Quærit opes senior, magnos & cogit aceruos.
Vulnera naturæ sunt hæc inimica nouercæ.

Precatio ad tempora illustrissimæ reginæ Mariæ accommodata.

ANglia, sæpè tuis diuina potentia rebus
Adfuit, & sæuis te tempestatibus actam,

Impulit in portum ſaluam, terraq́ locauit.
Iſta tamen poſtrema dei clementia, miris
Luminibus fulſit, radijsq́ illuſtribus arſit.
Ambitione volans, cæcaq́ cupidine regni,
Exacuit ferrum nimis immoderata poteſtas.
In tenebris miſeri iacuerunt obruta regni
Sceptra ruit vario diſcordia miſta tumultu.
Ipſe ſibi diſpar ſecum pugnare ſenatus,
Frendere nobilitas, incerto murmure ferri
Vulgus, & ancipites turbarum voluere fluctus,
Cum ratione furor pugnat, cum iure libido,
Vis trahit inuitos, armis terretur honeſtas,
Officium pauor, & verum violentia frangit.
O tenebras regni ſpiſſas, ô tempora dura,
Turbine quis tanto raptatos colliget artus
Anglia? quis laceris corpus componere membris,
Quis ſolitum poterit repræſentare decorem?
Tu deus, æterno qui dirigis omnia curſu,
Cuius inexhauſtis manat clementia riuis.
Tu deus è cœlo ſpectans, noſtriq́ miſertus,
Aſpera magnorum tollis tormenta malorum.
Claſsica ciuilis belli tu concita frangis,
Tu reuocas lætam pacem, tu pectora ſedas
Turbida, diſcordes animos tu fœdere iungis.

Fœmina

Fœmina virgo venit, descendens stemmate regũ,
Fœmina virgo venit, Mariæ prænomine digna.
Salue flos regni, salue lectissima gemma,
Salue de cælo lapsum venerabile sydus.
Optima sis nobis, & fœlicissima princeps,
Auxilium fractis fer mansuetissima rebus.
Fratris vt es regni, sic sis pietatis & hæres.
Iustitiam serua, demissis parce, superbos
Contere, virtuti sit honos, doctrina colatur.
Fac tueare bonos, nec falsa calumnia quenquam
Opprimat, ipsa tuos & ames, & ameris ab illis.
Rex tibi frater erat, mors illum funere mersit,
Morte cadis regina soror, mortalia durant
Nulla diù, proprio se carpit tempore vita.
Hanc supreme deus, regno qui ponis auito,
Anglia cui fasces summittit læta supremos,
Imbue diuino sanctissima pectora succo,
Semper vt ad cælos sursum sua lumina tollat.
Vinciat & pietas, communis & alliget ardor
Mutuus in Christo, studijs consentiat omnis
Nobilitas rectis populus tractabilis artes
Suscipiat pacis, regniq; statuta sequatur.
Aurea perpetuis omnes concordia vinclis
Nectat, vt ad patrem communem supplice voce,

Iunctorum fratrum communia vota ferantur.

Carmen consolatorium in rebus afflictis S. Principis Elisabethæ.

EST deus, estq́, deo certissima cura suorum,
Semper habent iustæ põdera magna preces.
Sæpè suum differt diuina potentia numen,
Crescat vt in tardo tempore prompta fides.
Sæpè deus cessat, sed tandem surgit, & audit,
Corporis & curat saucia membra sui.
Obsidio miseros Iudæos dura premebat,
Atque suo caruit iusta querela deo.
Ingreditur tandem votis, & vindice dextra
Iudith, Olopherni demit, & ense, caput.
Sæpè Susanna manus supplex tendebat ad astra,
Sed medicina tamen nulla doloris erat.
Truditur ad mortem stupri damnata cruentam,
In media Daniel morte patronus ades.
Elisabetha parens Baptistæ, mater vt esset,
Sæpè precata fuit, sæpè repulsa fuit.
Distulit in longum tempus diuina potestas
Vota, sed est tandem, reddita mater, anus.
Elisabetha diù multorum mole malorum
Obruta, sæpè pio voluis in ore preces.

Sæpè

Sæpè deo tristes casus, & acerba dolorum
Vulnera proponis, sæpè requiris opem.
Non venit ad votũ subitò: tibi crescat vt ardor
Mentis, & in cælo discat habere locum.
Distulit auxilium, sed tandem numine pleno
Spiritus aduenies, pectora mæsta leuat.
Spiritus ille leuat, qui Christi membra beati,
Multa premi patitur, nulla perire sinit.
Fide deo, succurre bonis, reuerere sororem:
Sic tibi perpetuus cursus honoris erit.
Elisabetha vale, Christo gratissima virgo,
Chara pijs princeps, Elisabetha vale.

In quandam nobilem fœminam.

Est Venus in vultu, docto tibi Pallas in ore
Præsidet, ad digitos clarus Apollo venit,
Mercurius linguam moderatur, Cynthea mores,
O dea digna deo, dignaq; Iuno Ioue.

In eandem.

Si mancas virgo, liber est te virgine dignus,
Si fueris coniunx, coniuge dignus erit.
Si tua te viduam sors tristis fecerit esse,
Aptus erit viduæ tum liber iste tibi.

Sic

Sic quæcunque tibi fuerit fortuna parata,
Conueniens omni parte libellus erit.

Angliæ prosopopœia.

ANglia littoribus quamuis inclusa marinis,
Non habeo magnos insula parua sinus:
Me tamen illustrem maiorum fama meorum
Fecit, & vt celebri nomine digna forem.
Non ego me iacto, proprias non effero laudes,
Sed mea, quam refero, gloria, numen habet.
Terra mihi segetes effundit diuite vena,
Pascua præpingui fertilitate tument.
In gremio fluuijs riui miscentur amœnis,
Gurgitibus rapidis & vada pura meant.
Nobilis antiquo nutat cum robore quercus,
Et nemorum grato spirat odore viror.
Visceribus medijs errant pretiosa metalla,
Diuitiæ crescunt intus, opesq́; foris.
Maxima diuini sunt hæc monumenta fauoris,
Sed bona sunt alijs ista minora bonis.
Me deus eripuit terris, cælaq́; locauit,
Discipulum Christi fecit & esse sui.
Depulit errores, quos tempora cæca vehebant,
Prisca fides, veteri cum pietate, redit.

O venerande pater, parui miseratus ouilis,
Tendo tibi lætas, supplice voce, manus.
Sit mihi, quæ nunc est, scripturæ regula sacræ,
Atque meo maneat nomen in ore tuum.
Excitet ardentes virtus in pectore flammas,
AEmula doctrinæ sit pia vita piæ.
Floreat Elisabeth exoptatissima princeps,
Præsit & in membris hoc sine labe caput.
Hoc caput excellens tua præstet gratia saluum,
Sic erit in toto corpore tuta quies.
Nobilitas concors viuat, concorsq; senatus,
Iura locum teneant, artibus & sit honos.
Moribus emineant puris, qui sacra gubernant,
Sermo pius dux sit, sit proba vita comes.
Factio non laceret plebem, nec bella fatigent,
Pax maneat, nostri dulcis amica soli.
Non ego plura rogo, quanquam sunt plura rogãda,
Tu deus ancillæ quæso memento tuæ.
Christe deus, filiq; dei, mea dirige vota,
Qui patris ad dextram plenus honore sedes.
Spiritus è cælis quassatos erigat artus,
Pectora sic vires sunt habitura nouas.
Multa licet peccem, nec adhuc sine crimine viuã,
Leniat offensas mæsta querela graues,

O deus exaudi, ſupplex te ſeruа precatur
Anglia, præſentem flendo requirit opem.
Non ego ſum, fateor, tam magno digna fauore,
Filius eſt dignus, victima noſtra, tuus.
Sic ego grata tuum reuerenter nomen habebo,
Sic erit & gentis gloria ſumma meæ.

In auſpicatiſsimum S. reginæ Eliſabethæ regimen.

ANglia tolle caput, ſæuis iactata procellis,
Exagitata malis Anglia tolle caput.
Aurea virgo venit, roſeo venerabilis ore,
Plena deo princeps Eliſabetha venit.
Quaq; venit, feſtos circumfert vndique ludos,
Vndique, quà graditur, gaudia læta ciet.
Stella ſalutaris ſalue, præſentia ſerua,
Splendeat ex radijs terra Britanna tuis.
Formoſum ſydus, patriam caligine merſam,
Admota propius luce leuato noua.
Frigidus horribili Boreas terrore ſtrepebat,
Atque diù terras aſpera læſit hyems.
Nunc Zephyrus mollis iucundas commouet auras,
Anglia vere nouo nunc recreata viret.
Tu deus iſta facis, tu ſummi rector Olympi,
Proſpiciens cælo vulnera noſtra vides.

Tu

Tu deus es ſolus, noſtri medicina doloris,
Atque tuis ſeruis tempore ſemper ades.
Tu deus in ſolio gemmam componis auito,
Quæ patriæ lucem ſola referre poteſt.
Rettulit, atque refert, poteritq; deinde referre,
Lumine ſi poſthac luceat illa tuo.
Anglia tende deo palmas, & ſupplice voce
Spiritus ad dominum ſæpè precando meet:
Eliſabetha tuis ſeruis præfecta magiſtra,
Vt domino maneat fida miniſtra deo.
Sit pia, ſit clemens, & ſit virtutis amatrix,
Semina doctrinæ non peritura ſerat,
Iuſtitiam colat, & diſponat in ordine certo
Res, homines, terras, Anglia quicquid habet.
Conſilijs rectis attentam præbeat aurem,
Et ferat oppreſſis, quando rogatur, opem.
Fulminet in vitijs, & corda rebellia frangat,
Supplicibus parcat, quos meliora mouent.
In domini iuſto maneat cultuq;, metuq;,
Sit ſimilis princeps Eliſabetha ſui.
Et ſimilem matri prolem moritura relinquat,
Viuere ſic patriæ poſt ſua fata poteſt.
Nos miſeri, ferro, flamma, morboq;, fameq;,
Quos meritò triſtis punijt ira dei.

Nos

Nos miseri, clemens domini quos dextra leuauit,
Et quibus ad cœlum est rursus aperta via.
Pectore syncero domini mandata tenere
Conuenit, & vera relligione frui.
Exeat ex regno libertas impia carnis,
Spiritus est liber, res placitura deo.
Mutua nos firmo concordia pectore iungat,
Sic soboles patri grata futura sumus.
Inuide liuor abi, mendax infamia musset,
Turpis auaritiæ sordida lucra migrent.
Seditio sileat, tollatur iniqua rapina,
Sanguinis & sitiens, dira tyrannis eat.
Mentibus in nostris reuerentia principis insit,
Et populo faueas Elisabetha tuo.
Sic deus in regno tibi prospera tempora mittet,
Patria sic tecum viuere læta potest.

D. Nicolao Bacono Magni sigilli Angliæ custodi, amico honoratissimo.

VT valeas, primùm capitis sit cura tegendi,
A stomacho crudos & remoueto cibos.
Sume bono succo vinum, panemq; salubrem,
Ne sedeas, donec sis comedendo satur.
Nec Venus exhaustos absumat corporis artus,
Bacchus & à lecto debet abesse tuo.

Sit

Sit modus in victu, tibi sit modus atque laboris,
Non animum vexet mœsta querela tuum.
Vulnera fortunæ constans patientia frangat,
Tempora cum fuerint tristia, lætus eris.
Quam deus assignat, contentus viuito sorte,
In tenui censu, corda quieta tene.
Credula non omnes admittant pectora voces,
Pauperibus non est iniycienda manus.
Sermo sit in mensa comis, moderare palatum,
Nec varios auida fauce vorato cibos.
Verba tibi non multa fluant, sed verba sequatur
Prompta fides, nulli sit tua lingua malo.
Ora, sibi quæ sunt contraria, semper abhorre,
Plena sit innocuo mensa facetа sale.
Nec domus in varias sectas diuisa trahatur,
Quos tibi vicinos sors tua fecit, ama.
Talis erit vestis, qualem fortuna requirit,
Crassa licet, membris sit tamen apta tuis.
Lis tibi semper obest, opibus te ditior vrget?
Cuius eras socius, turpiter hostis eris.
Si cadat inferior, nullam victoria laudem
Obtinet, officijs est retinendus amor.
Mane profecturum, Vulcanus nocte cubantem
Visitet, is cœli dira venena fugat.

Dum

Dum vigilas, domino supplex tua vota profunde.
Sic tibi res saluas efficit esse deus.
Pauperibus tua sit pietas, succurrere prompta,
Quosq; vides miseros esse, leuare para.
Sic tibi diuitias dominus cumulabit in arcis,
Et noua, cum magno fœnore, lucra dabit.
Crapula nocturno quæ diffluit ebria luxu,
Protinus est lectis eiicienda tuis.
Somnia seruorum caueas, & lumina sera,
Concitat ingentes flamma minuta faces.
Otia te lecti non matutina morentur,
Erige maturè corpus, & ito foras.
AEdibus emigrent, os mendax, tetra libido,
Lubrica nec partas alea iactet opes.
Lætitiam mensæ comitem seruare memento,
Fercula non debent somnia longa sequi.
Planta, caput, stomachus, sint cõtra frigus operta,
Nulla tuo sedeat pectore cura diù.
Vt tua res patitur, sumptus ratione gubernes,
In vitio semper plus erit, atque minus.
Tempora quando negant, debes seponere causam,
Tempora quando ferant, indubitantèr agas,
Fallere iurando quenquàm, scelus esse putabis,
Sis alacris, faciet cura repentè senem.

Pocula

Pocula manè caue, ni te ſitis vſſerit ingens,
Aura ſalutaris ſit, faciliſq; labor.
Tempora menſarum potus legittima ſeruet,
In reliquis ceſſet, ſit niſi magna ſitis.
Sal nimius ſuccos ſolet exhaurire ſalubres,
Ergo tuos modicè condiat ille cibos.
Denique quicquid erit tua quod natura repellit,
Vel licet indè nihil, vel licet indè parum.
Iſta meæ muſæ ſi vis præcepta tenere,
Mens erit in ſano corpore ſana. Vale.

In Collegium Weſtmonaſterienſe reſtauratum nuper ab Eliſabetha Regina.

NObilis hæc domus antiquo memorabilis ortu,
Temporis ad varias eſt reuoluta vices.
Eliſabeth tandem cælo regina profecta,
Fecit vt æternum poſſit habere ſtatum.

In S. Reginæ Eliſabethæ effigiem.

HEi mihi, quòd tanto virtus perfuſa decore,
Non habet æternos inuiolata dies.

In effigiem Thomæ Cranmeri Archiepiſcopi Cantuarienſis.

ET pius, & doctus, Thoma Cranmere fuiſti:
Tempora læta deus, tempora dura dedit.

In effigiem ſuam.

QVid facis ô demens, cur ora fugacia pingis?
Aut nouus, aut nullus cras mihi vultus erit.

In eandem.

NOn ego ſum tanti, ſed mos eſt geſtus amicis,
Cum tabula formam tollet auara dies.

In effigiem ſpectatiſsimæ fœminæ Annæ Henneagiæ.

INgenio præſtans muliebri plena decore,
Ac, niſi quod laudes, hæc habet Anna nihil.

In effigiem Edmundi Halli Gretfordienſis.

CORporis effigies pictoris cernitur arte,
Mens latitat ſoli conſpicienda deo.

Domino Roberto Dudleio illuſtriſsimo Leiceſtriæ comiti.

OBuia te læto comitem Leiceſtria vultu
Suſcipit, & potius vellet habere ducem.

Sed

Sed tamen, vt verum fatear, præclare Roberte,
Est via, qua comes, & dux simul esse potes.
Te comitem fortuna comes prosperrima fecit,
Et tibi dux virtus, te facit esse ducem.
Dux maneat virtus, comes & fortuna sequatur,
Sic patriæ fies gloria summa tuæ.

Eidem.

TEnde deo palmas supplex, & vota profunde,
Siue vigil surgis, vespere siue cubas.
Et quoniam patriæ caput est, sit cura secunda
Principis, hanc vero pectore fidus ama.
Patria succedat, communia commoda quære,
Patria patronum te sciat esse suum.
Proxima sit tibi cura tui, propriæq; salutis,
Inuidia nunquam gratia magna caret.
Viuito syncerè, veris sis fidus amicis,
Nil temerè credas, quæ facis, antè vide.
Suspitio vanis fallax rumoribus absit,
Amolire malos, auxiliare bonis.
Hostibus ignosces, illis sed fidito solis,
Quos tibi vel sanguis, vel sociauit amor.
Sis animo magno, vultu sis semper eodem,
Dissimilem nemo te probet esse tui.

Denique te qualem vulgò vis esse videri,
Perfice re vera, talis vt esse queas.
Viue, vale, multos numera fœliciter annos,
Vita tamen vitæ sit memor ista nouæ.

In nuptias generosissimi Thomæ Cecilij.

CEciliana suos arbor diffundere ramos
Incipit, & claro fructificare solo.
Sic, ô sic superi, magno de nomine nomen
Crescat, & in multis perpetuetur auis.
Omnia præclarum memorabunt secula patrem,
Gloria de tanto fonte perennis eat.
Quàm patriæ fœlix pater est, tam prospera patri
Sit soboles, voti summa sit ista mei.

Ad lectum.

LEctule curarum requies, & meta laborum,
Otia qui tecum dulcia nocte vehis,
Da faciles somnos, insomnia vana repelle,
Fac grauis ex tristi corde querela migret.
Omnia deleto miseri ludibria mundi.
Hospitio gratus sic potes esse tuo.

Responsio.

Responsio.

VT sim curarum requies, & meta laborum,
Sit vacuum pectus quando cubile petis.
Vt faciles habeas somnos, insomnia nulla,
Sit modus in victu, sit sine nube caput.
Denique fac lectum tibi credas esse sepulchrum,
Sic licet hospitio te recreare meo.

In Wolfgangi Musculi locos communes Anglicè versos, & insignia R.D. Matthæi, Cantuariensis archiepiscopi.

INtegra diffusi soluetur machina mundi,
Tollitur & toto quicquid in orbe placet.
Viuit in æternum dominus, quem nosse labora,
Musculus, vt possis nosse, magister erit.
Hunc tibi commendat commendatissimus ipse
Officio primas, primus & ingenio.
Natura claues habuit Parkerus auitas,
Præsul adoptiuas relligionis habet.
Addidit huc princeps stellas sine nube serenas,
Luceat vt morum lumine sancta fides.

De Insignibus eiusdem Mathæi.

SVnt antiquorum claues monumenta parentũ,
Venit ab augusto principe stella triplex.
Sic benè conspirant virtus, doctrina, potestas,
Et placidæ pacis semina læta serunt.
Sed tamen ad finem decurrunt gaudia vitæ,
Ac homo puluis erit, puluis vt antè fuit.

In mortem Thomæ Withedi Stochiensis.

IN cineres tandem Thomas VVithedus abiuit,
Finijt & vitæ tempora longa suæ.
Vixerat ille diù, sed semper viuere dignus,
Si quisquam semper viuere dignus erat.
Sed quia non potuit mortali mole grauatus,
Corpore deposito, viuere mente parat.
Vita diù præsens fecit te viuere Thoma,
Mors veniens semper viuere posse facit.

In obitum D. Martini Buceri.

GErmanis ô flende tuis, ô flende Britannis,
Omnibus ô terris flende Bucere iaces.
Te schola nostra suum desyderat orba magistrum,
O schola sublato debilitata duce.

Membra

Membra quidē Christi sunt nobis multa relicta,
Sed caput his membris quod fuit, illud abest.
Et caput excellens, quo toto doctius orbe
Non fuit, & non est, nec fore, credo, potest.
Vita fuit similis doctrinæ, sancta probatæ,
Vtraque laus illi propria semper erat.
Summe deus, lucem nostris infunde tenebris,
Pectora scripturis, imbue cæca sacris.
Qui fuit & tuus, & noster, nunc desijt esse
Noster, & in cæli parte Bucerus inest.
O Martine vale, Christi præclare minister,
O Cantabrigiæ gemma, Bucere, vale.
Est tua conditio fœlix, qui fœcibus ægri
Corporis abiectis, gaudia mentis habes.
Nos miseri, nostro qui te pastore remoto,
Ibimus incertis inscia turba vijs.
Tu deus, ô nostri communis pastor ouilis,
Martino similem præfice, quæso, virum.
Sic simul in cælo ciuis potes esse Bucere,
Et simul in terris esse Bucere potes.

In obitum Suffolcienſium fratrum, ducum illuſtriſsimorum.

NObile par fratrum, matris dulciſsima cura,
Hinc ruit Henricus, Carolus indè ruit.

Quid faciat mater, si non deus esset in illa?
Clamet, & abijciat se, cupiatq; mori.
Quid facit, vt nūc est? Christū patienter adorat,
Et benè cum Christo pignora iuncta putat.
Viue diù fœlix longa dignissima vita,
Cuius inauditum gratia robur habet.
Antea iure tuis gnatis, es dicta beata,
Maius in illorum funere nomen erit.
Gloria viuorum, præsentis gloria mundi
Et fuit, & mundi casibus apta fuit.
Sed quòd in illorum veneraris funere Christum,
Hæc tibi de cœlo gloria missa venit.
Vos etiam dulces pueri, dum mundus habebat,
Arbitrio mundus voluerat ipse suo.
Nunc simul in gremio patris recubatis Abrami,
Qui locus æterna vos requiete beat.
Ergò vale vita fœlix, & funere fœlix,
Atque pia proles matre beata, vale.

In eosdem.

ET viuos colui meos alumnos,
Et nunc prædico mortuos alumnos.
Vos dulces pueri, valere vester
Haddonus iubet, vt potest iubere.

Feci,

Feci, quæ potui, licere plura
Vellem, plura libentèr exhiberem.
En, charis mihi charior puellis
Excellens Catarina, viue fælix.
Et quos non poterant habere nati,
Hos annos tribuat deus parenti.
Hoc debet pietas tibi precari,
Doctrinam decet hoc & apprecari.
Nam communis es vtriusq; mater.

Ad Anglos vt resipiscant.

ANglia, cur saccos differs, cineresq; recusas?
Anglia, terribili fulmine tacta dei.
Forsitan expectas Ionam, iam venit, & aures,
Verberat, & sacro detonat ore minas.
Sed tibi non prosunt oracula sancta prophetæ,
Ludis, & in luxu tempus abire sinis.
Insequitur Ionam iusto deus ipse furore,
Spargit & horribili tela cruenta manu.
Tu tamen in crapula stertis, scelerumq; sepulchro,
Et nimis infælix euigilare nequis.
Cum populi rabies fodit tua viscera ferro,
Principis & fregit iussa verenda sui.
Cum tibi de toto manauit corpore sanguis,
Et proprijs fluxit viribus ille cruor:

An

An tibi de cœlo non visa est virga venire
Ferrea, supplicio quæ fera corda domet?
Sed tibi dura manent, & pectora plena malorum,
Oblinis & vitijs te scelerata nouis.
Indè venit miseranda fames, & turpis egestas,
Altera contempti virga tremenda dei.
Negligis, & rides, totoq; ex orbe rapinas
Colligis, & partas ebria fundis opes.
Colligis, & quæris, quæ post malè perdere possis,
Luxus auaritiæ est duxq;, comesq;, tuæ.
Quò ruis oh demens, mundi ludibria captans?
Cur fugienda petis? cur cupienda fugis?
Imminet iratus duris ceruicibus vltor,
Librat & in cladem spicula prompta tuam.
Pestifer obuolitat sudor, subitoq; peragrat
Corpora, lethali pectora tabe terens.
Et prius obrepit, quàm præsentiscere possis,
Et prius extinguit, quàm tua damna vides.
Sed tamen est summi clementia maxima patris,
Fumigat, at flammæ non sinit ire faces.
Anglia tolle caput, funestas cerne ruinas,
Ad dominum tandem respice cæca tuum.
Est pater, est dominus, pater est, si diligis illum,
Neglige, tum domini te grauis ira premet.

Ter

Ter deus è cælo tonuit, ter fulmina torsit,
Ne sine supplicio, te sinat esse malam.
Ter deus intentos posuit leniſsimus arcus,
Vt monitam pœna, te sinat esse bonam.
Anglia fac vigiles, hæc vltima tempora vitæ
Sunt data, vel melior, vel fore nulla potes.
Si melior fueris, decedent vndiq; nubes,
Atq; dabit lucem lux tibi vera nouam.
Sed tua peccatis si pectora stricta tenentur,
Miles eris Sathanæ, mors tibi finis erit.
Mors animæ sequitur, peccati debita merces,
Exitus vnde tibi nullus adesse potest.
O deus, humani generis, mundiq;, monarcha,
Cuius in imperio condita regna latent,
Parce tuo regno, quod si non ipse gubernes,
Dextera deiectum nulla leuare potest.
Tu deus es noster, vitæ, morumq; magister,
Tu pia virtutis semina solus habes.
Tu nisi custodis vrbes, nisi mœnia seruas,
Vtilitas nostri nulla laboris erit.
Anglia de sacris scripturæ fontibus hausit,
Integra sermoni vita sit apta sacro.
Abfuit hæc, & abest, hæc te reuocante redibit,
Hanc nisi tu dederis, reddere nemo potest.

Sed

Sed dabis hanc nobis, & tum reuireſcere noſtra,
Inſtaurata tua corda videbis ope.
Anglia tũc hymnos ſupplex, & carmina fundet,
Atque tuum vero nomen honore colet.
Anglia regnorum princeps, reginaq́ mundi
Tunc erit, & domino grata miniſtra ſuo.

In dominum Ioannem Clerum, Equitem.

CLarus Ioannes, gentili nomine Clerus,
Ex varia belli laude citatus eques,
Admare deſcendit præfectus claſſis, & hoſtes
Perſequitur Gallos, vrit & igne rates.
Indè alios vicit ponto congreſſus aperto,
Atque freto tutam fecerat eſſe viam.
Sed nimis infœlix animo maiora volutans,
In Scotiæ portu ſeq́, rateſq́, locat.
Kirkina iuncta fuit, quo mercatura Scotorum
Vndique conuehitur, turris & intus erat.
Irruit hic audax Clerus, biduumq́ remanſit,
Interea noſtris Kirkina præda fuit.
Clere quid expectas, victor, terraq́ mariq́:
Cur teris hoſtili tempora longa ſolo?
Non ſemper fortuna fauet, quos ſæpè leuauit,
Obruit, & tandem ſæua perire ſinit.

Cur

Cur nimium speras? non semper dormiet hostis,
Verus honor, iustum debet habere modum.
Venit acerba dies, fatalis & imminet hora,
Iam Scotus armatus rure profectus adest.
Diffugiunt nostri, desertis vndique signis,
Clerus & in vacua stat propè solus humo.
Obsecrat, hortatur, clamat, quò perfide miles,
Quò ruis, hic Scotus est, huc tua tela volent.
Patria te reuocat, dux te tuus inuoco miles,
Et tua te prohibet prodere signa fides.
Dum queritur, frustrà vires clamando profundēs,
Et Scotus aduentat tristia fata minans:
Aduolat ex seruis vnus, prenditq; lacertum,
Immemoremq; sui littus adire monet.
Rettulit ille nihil, sed pectora vertere turmas
Imperat, hanc vnam rem repetendo petit.
Vt vidit certamq; fugam, turbasq; Scotorum,
Quo sua sit, quærit, cymba relicta loco.
Subsidium vitæ solum, fortuna remorat,
Cymba petita fuit, nulla reperta fuit.
Tunc animo magno curis oppressus, & armis,
Ingreditur pontum solus, & æquor arat.
Voluitur ad cymbam, poteras hîc viuere saluus,
Sed tibi successus sors inimica negat.

Graius

Graius enim mersos humeros ex æquore tollit,
Pondere sed rursus decidit ipse suo.
Cærula demersum tenuerunt æquora Clerum,
Nec potuit vitæ post reperire viam.
Sed dedit egregium Clero fortuna sepulchrum,
Et pia iactari fluctibus ossa vetat.
Præsul enim mortis sortem miseratus acerbam,
Condidit in sacra nobile corpus humo.
Et quoniam corpus patriæ seruiuit honori,
Spiritus in cælo stet tuus ante deum.

In mortem comitis varuicensis.

CLarus Ioannes, Dudleiæ gloria gentis,
Quem natura bonum fecit, fortuna beatum,
Exijt è vita, primis ereptus in annis.
Gratia, nobilitas, vires, prudentia, virtus,
Et pudor ingenuus, custosq́ modestia morum,
Omnibus & comi sese clementia præbens,
Lumina viuentis comitis præclara fuerunt.
Ergo vale propria fælix virtute, paterna
Infælix culpa, crudelibus obrute fatis.
O iuuenis miserande vale, quem viuere iussit
Principis excellens clementia, sæua sed atras
Iniecit mors atra manus, & funere mersit.

In

In obitem domini Matrauerſi, comitis.

NObilis Henricus qui Matrauerſius heros,
Stirpis Arundeliæ maiorum nomine priſco,
Dictus erat, genus, atque ſuum de gente trahebat
Fitzallenorum, comitum virtute potentum,
Quem pater excellens florentem viderat armis,
Artibus, ingenio, dulci ſermone fluentem,
Conſilio plenum, cuius tranſcenderat annos
Ante diem virtus veniens, grauitasq; virilis,
Clade ruit ſubita, generoſam gloria mentem
Dum ſubit, & nimium iuuenili pectore feruet.
Cæſaris adfratrem, Maria hunc regina Britônũ,
Legauit, iuuenem clarum, lectiſſima princeps.
Fertur equis, volitansq; via peruenit ad aulam
Cæſaris, & ſumma commiſſum laude peregit.
Munus, & ad magnam profluxit gloria famam.
Sed venit in medios febris funeſta triumphos,
Tabificaq; lue teneros depaſcitur artus.
O miſerande puer, nimiumq; oblite ſalutis
Ipſe tuæ, nimium patriæ memor, atque parentis,
Cur ita feſtinas? magnum eſt, moderare laborẽ.
Sic patriæ ſeruire decet, ſeruire frequenter
Vt liceat, ſeroq; tuo ſuccreſcere patri.

Sed

Sed tibi fortè placet vitam pro laude paciſci,
Nec metuis mortem, tanto quæ ſplendet honore.
Gloria non poterat certè contingere maior,
Si tibi ſexcentos donaſſet Iupiter annos.
Primæ cauſa viæ fuit, & tibi cauſa laboris,
Funeris atque comes proceſſit Cæſaris aula.
Sic, ô ſic ſuperi, iuuenis digniſſimus aſtris,
Fœlicem vitam concluſit morte beata.
Cum Mariæ regnum quarto proceſſerat anno,
Iulius extremam lucem quam menſis habebat,
Illa eadem, claro iuueni, lux vltima fulſit.
Quattuor à luſtris vnum ſi dempſeris annum,
Hæc Matrauerſi morientis habebitur ætas.
Sic Titus eſt Cæſar primis ereptus in annis,
Sic puer eſt, princeps Eduardus, morte reuulſus.
Parce pater lachrymis : ô Anglia ſiſte dolorem.
Fata fauent nulli, mors imminet omnibus hoſtis.
Quod licet, hoc vnum Shelleius ore diſerto
Præſtitit, vt grato nomen ſermone celebret :
Et tuus Haddonus, magnus viuentis amator,
Iſta tibi ponit ſtudij monumenta prioris.
Iamq́, vale, pubis noſtræ lectiſſima gemma,
Quo poſt Eduardum maius nil Anglia vidit.

In

In obitum domini Ioannis Checi, Equitis.

Doctrinæ lumen Checus, morumq; magister,
Aurea naturæ fabrica, morte iacet.
Non erat è multis vnus, sed & omnibus vnus
Præstitit, & patriæ lux erat ille suæ.
Gemma Britanna fuit, tam magnũ nulla tulerunt
Tempora thesaurum, tempora nulla ferent.

Epitaphium Mariæ Baconæ.

Primitias ventris Mariã dedit Anna Baconã
Sed venit in Mariæ parua Susanna locum.
Huc deus adde nouem, decimũ tibi sumito partũ,
Sic decimas mater, primitias q; dabit.

In obitum Iacobi Haddoni, fratris sui.

Omnibus in rebus mihi coniunctissime frater,
Cuius erat vitæ vita medulla meæ,
Quomodo, quos similis mundi fortuna premebat,
Nos tua diuersis mors facit ire vijs?
Terrea me religant constrictum vincula carnis,
Spiritus & tuus est liber in arce poli.
Anxia durarum me rerum cura fatigat,
Nauigat in portu mens tua, iuncta deo.

Me ſtatus excruciat præſens, metus atque futuri,
Sed tibi parta manet tempus in omne quies.
O tempeſtiua fœlicem morte Iacobum,
O vtinam fratri iungar & ipſe meo.

In exhumnationem, & reſtitutionem D. Martini Buceri.

ERgò tuos cineres effodit dira tyrannis?
Credidit & nullos eſſe Bucere deos?
Non ita, ſed deus eſt ſummus virtutis amator,
Et grauis admiſſi criminis vltor erit.
Frende Satan, iacularе minas, & cõcute dentes,
Nulla dies Chriſti lædere membra poteſt.
Triſtia præclari flagrabant buſta Buceri,
Cum Satan igniuomo ſparſerat ore faces.
Sed domini clemens extinxit dextera flammas,
Atque nouo cineres fecit honore coli.
Sic pietas tandem victrix ſuper æthera ſcandit,
Subijcit & Chriſto colla ſuperba Satan.

Epitaphium Lodouici Viuis Valentini.

VIuit adhuc Viues, æternum viuere dignus,
Nec poterit virtus tam memorãda mori.

Fœlices

Fælices Brugæ, talis quas hoſpes amauit,
Atque ſolum fælix, quo pia membra cubant.
Fælices illum qui progenuere parentes,
Fælices tantum qui coluere virum.
Notior hoc vno eſt præclara Valentia ciue,
Corduba quam Senecis nota duobus erat.
Stoica iactabant Senecæ ludibria cæci,
Omnia ſunt Viuis dogmata, plena deo.
Doctior aut melior fuerit dubitatur, at illo
Doctior aut melior, nemo profectò fuit.
Mors ſaturam ſtudijs vitam matura peremit,
Sic mihi, ſic claudant fata ſuprema dies.

Epitaphium Thomæ Maſoni.

THomæ Maſono dederat natura, decoris
Quicquid habet, dederat gratia, quicquid ha-
Prouida cura patris claras adiũxerat artes, (bet.
Atque peregrino fecerat ore loqui.
Flos erat ætatis per tertia luſtra pererrans,
Cum venit in thalamos, ſponſa decora, pares.
Vndique vita fuit rebus cumulata beatis,
Abfuit à ſumma proſperitate nihil.
Inuida mors plenas lethali frigore palmas
Inĩjcit, & cinis eſt, qui puer antè fuit.

Et puer eximius, multis digniſsimus annis,
Aſpera ſi meritis cedere fata velint.
Sed via fatorum curſu procedit eodem,
Et ſua quemq́ dies non reuocanda trahit.
Cõcidit heu teneris princeps Eduardus in annis,
Nullus erat toto talis in orbe puer.
Nobile par fratrum cecidit, Suffolcia proles,
Atque dies binos ſuſtulit vna duces.
Obruit & triſti Matrauerſum funere caſus,
Clarius hoc puero vix tulit vlla dies.
Tu Maſone pater, doctrina fretus, & vſu,
Deſine mæſta tuæ vulnera flere domus.
Mortuus eſt Thomas, iuuenili laude refertus,
Tollere plus potuit, quàm dare longa dies.
Naſcendi lex eſt communis, & eſt moriendi
Lex eadem, tempus ponit vtrumque deus.

In obitum dominæ Ianæ Somerſetenſis.

INgenio præſtans, & vultu Iana decoro,
Nobilis arte fuit vocis, & arte manus.
Hinc Venus, & Pallas certant vtra debet habere,
Vult Venus eſſe ſuam, Pallas & eſſe ſuam.
Mors fera virgineo figens in pectore telum,
Neutrius (inquit) erit, ſed mihi præda iacet.

Corpore

Corpore Iana iacet, tellurem terra ſubibit,
Sed pius in cæli ſpiritus arce ſedet.

In obitum N. Pointzi Equitis, ex Anglico clariſsimi viri Th. Henneagij.

PEr medios mundi ſtrepitus, cæcosq; tumultus,
Turbida tranſegi tempora, Pointzus eques.
Nullus erat terror, qui pectora frangere poſſet,
Mens mea perpetuò quod quereretur, erat.
Nunc teneo portum, valeant ludibria mundi,
Vita perennis aue, vita caduca vale.

In obitum dominæ Eliſabethæ, Marchioniſſæ Northamtonienſis.

ELiſabetha fuit naturæ iure Cobama,
Coniugis & proprio nomine Parra fuit.
Forma, pudor, pietas, facundæ gratia linguæ,
Ingenium, virtus, inuiolata fides,
Cum grauitate lepos, cum ſimplicitate venuſtas,
Larga manus, pectus nobile, firmus amor,
Deniq; quicquid habet natura quod addere poſsit,
Addere quod poſsit, gratia quicquid habet,
Omnia viuentem Parram comitata fuerunt,
Omnia mors atrox obruit iſta ſimul.

Obruat ista licet tristi mors sæua sepulchro:
Attamen illorum fama superstes erit.

In obitum domini Gul. Pageti.

NObilis ingenua descendens stirpe Pagetus,
Aulicus in magno vixit honore diu.
Quis melior? veteri patris qui laude triumphat,
Colligit an factis, qui decus omne suis?

Epitaphium Thomæ Chalineri equitis.

NAtura Thomas Chalinerus, & arte valebat,
Vtilis & patriæ vir fuit ille suæ.
Publica cum magna suscepit munera laude,
Laude pari libros scripserat ille domi.
Sic patriæ vixit magno, dum vixit, honore,
Sic patriæ magno concidit ille malo.

In D. Thomam Hobæum Equitem, Parisijs dum legatione fungeretur, extinctum.

MOrs licet in Thoma multũ properarit Hobæo,
Non tamen ante suum concidit ille diem.
Ingenio præstans, doctrina cultus, & annis
Integer, ingenuis moribus vsus erat.
Diues, & instructus, præclara coniuge fœlix,
Quam faciat Phœbus, si queat, esse suam.

Egregiam

Egregiam prolem sexus vtriusq; reliquit,
Gratia tam magnas magna tegebat opes.
Addiderat princeps equitis memorabile nomen,
Vt meritis iustum posset adesse decus.
Gallia legatum lætis susceperat vlnis,
Atque suum coniunx est comitata virum.
Sic Mithridatis coniunx errabat in armis,
Vxor Pompeio sic sociata fuit.
Dispare sed fato. Vis hos inimica premebat,
Mortuus est Thomas, hoste, minisq; carens.
Dum patriæ seruit, sors dum prosperrima fulget,
Ad gremium positus coniugis, æger obit.
Et placidam mors est vitam tranquilla sequuta,
Sic ego, sic vellem viuere, sicq; mori.

In obitum Mariæ, primæ coniugis Thomæ illustriss. ducis Norfolciensis.

ME Mariam Thomas, adolescens ipse, puellam,
Participem clarifecerat esse tori.
Nobilitas vtrinque fuit, fuit ardor vtrinque
Mutuus, annorum cursus & æquus erat.
Quicquid habet, nobis dederat natura benigna,
Contulit & virtus aurea, quicquid habet.
Inuida mors, rebus nunquam contenta secundis,
Me tibi, teq; mihi, chare marite, rapit.

Viue memor noſtri Thoma, Surreia proles
Magna mei pars eſt, pars quoq; magna tui eſt.
Creſce puer, patriq; ſeni ſucceditо fœlix,
Sic mihi poſt mortem vita redire poteſt.
Tuq; vale Thoma, fies qui ſæpè maritus,
Prima tibi, ſed non vltima cura fui.

In obitum Margaritæ, ſecundæ coniugis Thomæ ducis Norfolcienſis.

MArgaritam natura bonam, fortuna beatam
Fecit, erat partu nobilis, atque toro.
Nupta duci Thomæ ſummos conſcendit honores,
Addidit & claro pignora chara patri.
Sed nimium fœlix, optat dum mater haberi,
Deſinit & coniunx, mater & eſſe ſimul.
Pallida mors, lætis ſemper contraria rebus,
Inuolat in partus inuidioſa nouos.
Et puero ſaluo, matrem crudeliter aufert,
Ah maneat potius mater, eatq; puer.
Fata vetant, ſua quenque dies ad funera raptat,
Nobilis ô Thoma, te quoque fata trahent.

In Eliſabetham tertiam coniugem.

CVmbria me ſponſam, ſponſã Norfolcia vidit,
Illic eram comitis, hîc ego ſponſa ducis.

O me fœlicem, mea dum fortuna manebat,
Sed fortuna diu nulla manere potest.
Sis animo magno mi Thoma, præterit ætas,
Lubricus annorum cursus, vt vmbra, volat.
Est sua cuique dies, quæ vitæ tempora claudit,
Me tulit illa dies, teferet illa dies.
Interea serui patriæ, nostriq; memento,
Quæ tibi non longo tempore iuncta fui.
Gaudia cepta deus lugubri funere mersit,
Sed tua restituent te mihi fata. Vale.

Thomas dux Norfolcius de tribus vxoribus vno sepulchro conditis.

Coniugibus tribus hoc posui cõmune sepulchrũ,
Quas mihi vjuentes iunxerat vnus amor.
Nescio quæ melior mihi, vel iucundior esset,
Optima quæq; fuit, intima quæq; fuit.
Coniugio triplici fælix, ter coniugis expers,
Heu nimium varias conqueror esse vices.
Parce deus, satis est, ter funera tristia vidi,
Funus ego quartum, silicet, esse velim.

In obitum R. D. Mathæi Cantuariensis Archiepiscopi.

Sobrius, & prudens, studijs excultus & vsu,
Integer, & veræ relligionis amans:

Matheus

Matthæus vixit Parkerus, fouerat illum
Aula virum iuuenem, fouit & Aula ſenem.
Ordine res geſſit, recti defenſor, & æqui,
Vixerat ille deo, mortuus ille deo eſt.

In nobilem puellam ex Suetia aduectam in Angliam.

VIrgo per incertos caſus, terraq́, mariq́,
Vecta diu, tandem facta Britanna fui.
Anglia promiſit feſſæ ſolatia vitæ,
Sed tamen ijs vti fata ſiniſtra vetant.

Aues incluſæ in caueam.

AVrea libertas toto pretioſior orbe
Fugit ab incluſis, ſerua caterua ſumus.
Sed tamen hoc tutas ſeptum nos vndique ſeruat,
Omnis abeſt iſto vis inimica loco.
Scilicet interdum cauea cuſtodia prodeſt,
Et melius votis eſt caruiſſe tuis.
Ergo voluntatis motus ratione guberna,
Sic tibi conditio nulla nocere poteſt.

Confeſsio peccatoris.

ET merui, & fateor, vel ſi tua ſæuior ira,
Putria ſulphureo fulmine membra cremet.
Omnia peccaui, cœlum mea crimina vidit,
Dedecoris noſtri conſcia terra fuit.

Prodigus

Prodigus ille ego sum, probri sum filius ille,
Qui patrias luxu proïciebat opes.
Corpus erat iuueni firmum, nec gratia formæ
Defuit, ingenij vis mediocris erat.
Cultus & acceßit doctrinæ regula vitæ,
Prouida si normam vita tenere velit.
Sed mea feruentem cum tertia lustra iuuentam
Proueherent, rapidis in vada cæca rotis:
Crapula frangebat corpus, formæq; decorem,
Crebra valetudo depopulata fuit.
Corporis has labes, mentis comitata ruina,
Dißimilem fecit me nimis esse mei.
Singula quid memorem? Nosti deus omnia, nosti,
Omnia sunt oculis obuia facta tuis.
Plus ego deliqui primis peccator in annis,
Tempora quàm propè sunt talia visa pati.
Longa dies, misero luxu, ludoq; peribat,
Nequitijs nox est accumulata nouis.
Otia, fastus, amor, gula, corruptela placebant,
Mollities, plusquam lubrica nostra fuit.
Iamq; ita regnabat victrix in carne voluptas,
Vt nisi peccatum, nil mea vita foret.
Sed pater indulgens, cælo miseratus ab alto,
Tabifica fixit membra soluta lue.

Ilia

Ilia perpetuò binos fluxere per annos,
Omnia manabant, ſpiritus, eſca, cruor.
Exuuias ſpectans tenues, macieq́ pereſas,
O ego quàm vellem tunc potuiſſe mori.
Sed deus auertit cladem, morboq́ fugato,
Perfudit ſuccis languida membra nouis.
Et mihi reſtituit plenas in corpore vires,
Adfuit ex omni reddita parte ſalus.
Sic ope diuina media de morte reuixi,
Sic, fugiens longo tempore, vita redit.
Addidit vxorem domini clementia talem,
Qualis erat ſummo fœmina digna toro.
Nil melius toto, toto moratius orbe
Nil erat, ô ſexus gloria magna tui.
Te nimium fœlix viuebam coniuge coniunx,
Nunc nimium ſine te coniuge, viuo miſer.
Magna mihi fulſit cœleſtis gratia patris,
Nam ſat opum fuit, & ſat benè culta domus.
Principis & ſeruus mediocri nomine vixi,
Et reliqua fœlix conditione fui.
Sed deus immemori rurſus mihi pectore fluxit,
In veteri cœno mens reuoluta iacet.
Otia ſectabar, molli pleniſſima luxu,
Clamat Iö Bacchus, clamat Iöq́ Venus.

Tu

Tu deus è cœlo proſpectans, omnia cernis,
Supplicium differs, ad meliora vocas.
Cumq́; diu veniam ſpreuiſſet culpa rebellis,
Nec lcuitas vllum noſſet habere modum:
Pallida mors ſubitò teneræ per coniugis artus
Permeat, & telo guttura rauca fodit.
Exclamo, iactoq́; manus, & numina teſtor,
Numina peccatis aſpera facta meis.
En ego peccaui, tua mors huc ſpicula tranſſer,
Ille ego ſum dextræ victima iuſta tuæ.
Nil ea commeruit, proh dilectiſſima coniunx,
Vulnere cur tanto crimina noſtra luis?
Poſco deum ſupplex veniam, peccataq́; damnans,
Ingemo, ſuſpiro, deprecor, atque fleo.
Sera venit miſeræ noſtri medicina doloris,
Inſtat anhelanti mors, animamq́; rapit.
Et mihi præteriens, vxoris fata querenti,
Protulit horribili verba timenda ſono.
Stulte, quid vxorem tibi lamentaris ademptam?
Viuit, & eſt eius mens ſociata deo.
Fœmina caſta fuit, melioreq́; digna marito,
Ciuis habet cœli præmia, pœna tua eſt.
Tu tibi flendus eris, peregrinas miſſus in oras,
Accipies vitæ præmia iuſta tuæ.

Sæpè

Sæpè mori cupies, me nomine sæpè vocabis,
Non veniam, pestis lurida membra teret.
Principia ista mali, dixit, torueq; reflectens
Lumina, discessit, mî pauor ora premit.
Vt me collegi tandem, & lux reddita menti est,
Sic cœpit timidis hiscere lingua sonis.
Ergo meæ coniunx pars optatissima vitæ
Solueris in cineres, nec reditura fugis?
Non licet amplecti, non vltima perdere verba?
Inq; sinus lachrymas non licet ire tuos?
Sed lachrymæ valeant, serò quas fundere cœpi,
Vindicis ira dei cum manifesta fuit.
Tuq; simul coniunx æternum chara valeto,
Quàm tua, quàm vellem funera posse sequi.
Sed mihi plura deus culpæ tormenta parauit,
Mors abiens diras est minitata cruces.
Vt potero patiar, fiat diuina voluntas,
Ecce creaturam, me deus alme, tuam.
Sic fatus, proprias ædes, & cuncta relinquo,
Coniugij nimium tristia signa mei.
Iudicium domini iustum, quia rebus abusus
Ante meis fueram, nunc aliena sequor.
Auehor huc, illuc, obeo modò rusticus agros,
Vrbs in rure iuuat, sors mihi neutra placet.

Solus

Solus in abſtruſam correpo ſæpè latebram,
Expleor & mærens, & gemitu, & lachrymis.
Cum mihi ſic vnus, tranſiſſet menſis, & alter,
Viſaq; ſunt vitæ tædia longa meæ:
Principis externas iuſſu delegor in oras,
Qua melior non eſt vlla, nec eſſe poteſt.
Nauigo ſpumoſi contemnens murmura ponti,
Naufragus in terris æquora tutus aro.
Vt tetigi terram, meq; intra tecta recepi,
Abijciens viduo languida membra toro:
Tum nimium longo notus mihi tempore cæpit
Humor, in aſſuetis luxuriare locis.
Vt licet occurro, diuerſa remedia tentans,
Et res ſucceſſus cæpit habere bonos.
Publica concluſum commiſſa negotia finem,
Omnia poſt longas cum reperere moras,
Cumq; ſua iam quiſque via procedere cæpit,
Et mihi migrandi maxima cura foret:
Ecce nouis ſubitò flammis ſuccenſa fuerunt
Membra, furens vrit corpora ſicca calor.
Decolor eſt facies bilis ſuffuſa veneno,
Spargit & inuiſas morbus vbique notas.
Occupat indè manus, & ibi ſua vulnera pingit,
Et propriam ponunt brachia tincta cutem.

Corpus

Corpus & oblinitur totum fuligine nigra,
Nil vt erat ſupereſt, omnia bilis habet.
Deïjcio vultum, lachrymas & ſpontè cadentes
Fundo, deum tacitus ſupplice voce precor.
O pater in cælis, qui ſolus numine ſeruas,
Quicquid habet tellus, quicquid & aër habet:
Parce pater, miſeros non audeo tollere vultus,
Occupat infectas pœna ſeuera manus.
Lingua mihi propè ſola vacat, ſunt cætera iuſto
Fulmine vindictæ ſaucia facta tuæ.
Lingua quoque ex merito debebat muta manere,
Nequitiæ nimium prompta miniſtra meæ.
Sed deus hanc voluit teſtem ſupereſſe malorum,
Vt propria fierem voce fatente reus.
Sum reus, ô fateor, veniam pater omnia faſſo
Da, ſuperet noſtrum gratia magna ſcelus.
Eſt ſcelus immenſum, tamen eſt tua gratia maior,
Gratia peccatis ſit medicina meis.
Nil medici proſunt artes, nil pharmaca præſtant,
Nec niſi placato ſpes erit vlla deo.
Non ego te poſſum, Chriſti te victima placet,
Victima pro noſtris eſt ea ſola malis.
Chriſte deus, filiq́ dei, tua numina poſco,
Effice propitium tu mihi, quæſo, patrem.

Ignoſcat

Ignoſcat planè faſſo, vereq; dolenti,
Pœnitet, hæc miſero vox mihi ſola manet.
Scilicet hoc nihil eſt, niſi quòd clementia patris,
Hoc bonitate ſua ſanciat eſſe ſatis.
Omnibus hoc ſatis eſt, qui te ſeruator Iësu,
Supplice mente colunt, intrepidaq; fide.
Talia cum lachrymis fatus, me dedo dolori,
Mœstus & in lectum me reuoluto meum,
Multa querens, mortemq; petens, vitãq; perosus,
Conditus in tenebris, mœstitiaq; fruens.
Gratia ſed domini non deſertura fideles,
Gratia, fœlices quæ ſine fine facit,
Aſtitit afflicto, ſenſi noua gaudia mentis
Attonitus, tandem vox ita viſa loqui.
Te deus, ærumnasq; tuas, verosq; dolores
Reſpicit, & culpam diſplicuiſſe videt.
Scilicet hoc voluit patris clementia ſumma,
Cum quateret ſæuas bilis aduſta faces:
Vt vitij ſordes, flammis exureret ignis,
Pelleret vt turpi crimina corde dolor.
Multa deus dederat magni monumenta fauoris,
Et niſi quòd nolles eſſe, beatus eras.
Et deus erranti multumq;, diuq; pepercit,
Iuſtitiæ cupiens immemor eſſe ſuæ,

Tempore si veniam voluisses poscere culpæ,
Tempore si posses displicuisse tibi.
Sed quia nolueras, loris vindicta flagellat
Tristibus, & pœnas accumulando furit.
Sed tu fide deo, nec cura corporis æstus.
Corpus enim cinis est, in cineresq; redit.
Spiritus ascendet cœlestes liber ad oras,
Inter & æternos distribuere choros.
Sit tua mens sursum terrestres abÿce curas,
Crux facit hæc, dignum te magis esse deo.
Filius est verus domini quem virga coercet,
Spurius est, pœnis si malefacta carent.
Sis animo magno, vincat patientia morbum,
Afferat æternos vita futura dies.
Dixit, & internos sensi recalescere sensus,
Et redit in proprium mens recreata locum.
Spiritus est hylaris, reuirescit pectoris ardor,
Reddor & ex omni parte renatus homo.
Omnia præsentis sperno ludibria vitæ,
Vita nec ista iuuat, sed magis opto mori.
Nec velut antè, dolent morbo deformia membra,
Nescio quo morbus iam placet ipse modo.
Si valeam rursus, rursus languere necesse est,
Mors hodiè parcens, cras reditura necat.

Non

Nõ ego vel menſes poſthac numerabo, vel annos,
Hora ſit interitus illa, vel illa mei.
Corpora debentur morti, mens quærat olympum,
Semper & authorem cogitet illa ſuum.
Qui legis hos verſus noſtras aduerte ruinas,
Diſce carere malo, diſce timere deum.
Sera licet veniat, veniet (mihi crede) cruentis
Paſſibus, & pœnas vltio iuſta feret.

Ipſe Haddonus de ſe.

NOn mihi corpus erat, viuũ fuit antè cadauer,
Mors veniens morbi ſuſtulit omne genus.
Terra tegit terram, mens ſummis mentibus hæret,
Optima mors ſalue, peſſima vita vale.

Finis Poëmatum Gualt. Haddoni.

DE OBITV CLARISSIMI VIRI, D. GVALTERI HADDONI, ELEGIA PER AEGIDIVM FLETCHERVM.

ITe procul musæ, sterilesq́ facessite curæ,
Scriptaq́ cum Latijs. Graia valete modis.
Quid iuuat ingenuas æuum duxisse per artes,
Vestraq́ sollicito castra labore sequi.
Non ego qui semper messem desperet, arator,
Quiq́ sciat nunquam vincere, miles ero.
Ibimus atque vno sub sole iacebimus omnes,
Musaq́ venturas non dabit vlla moras.
Nec quia nescimus, mors vulnere serius instat,
Nec quia plus sapimus, tardior hora venit.
Forsan & ingenio nimium valuisse nocebit:
Sæpè nocet domino copia magna suo.
Acrius insignem tendit bellator in hostem,
Pauperies quòd nil possidet, hoste caret.
Adde quod exiguum superat patientia damnũ,
Proditur in magnis, arguiturq́ dolor.
Naufragus exiguas contemnit in æquore merces,
Tristior ingentes littore deflet opes.
Sic quia plus perdit, plus læditur inclyta virtus,
Ipsaq́ damnosas copia reddit opes.

Ite leues igitur, ſtultiſsima cura, libelli,
Pennaq́, cumq́ meis ſcripta valete notis.
Tuq́ vale, quondam ſtudij pars maxima noſtri,
Aurea Romuleæ gloria, Marce, togæ.
Marce vale, quid verba valẽt? tuq́ altera linguæ
Gloria, Cecropij quam ſtupuêre patres.
Non mihi iam veſtri facundia proderit oris
Illaq́ neruoſo verba locata foro.
Tuq́ vale, cuius muſarum ſacra volumen
Nomina, per totidem continet acta libros.
Et Capitolinæ ſcriptor celeberrime laudis,
Quem tulit Euganeis vrbs Patauina iugis.
Tunc mihi mens eſſet belli numerare triumphos,
Siqua triumphata prælia morte forent.
At nihil authori quæ ſcribere profuit ipſi,
Hæc eadem reliquos quid didiciſſe iuuat?
Magne vale, Stagrita, vale cui mellea labris
Fatidicæ dederant omnia vocis apes.
Vos quoque poſtremum dulces ſaluete poëtæ,
Iliadum vates, AEneadumq́ vale.
Tuq́, ſed infœlix teneri præceptor Amoris,
Alme valedictam porrige (Naſo) manum.
Quid fruſtrà lachrymas, inſcriptaq́ Triſtibus ora
Oſtendis? lachrymis non caret iſte dolor.

Non

Non ego te (Celadon) vltrà ſub tegmine fagi,
Teuè canã placidas (Myrtile) propter aquas.
Nec mihi iam quiſquam præcingere tẽpora lauro
Suadeat, aut vinctis nectere ſerta comis.
Nunc ego ſim foſſor, ſim duræ vocis arator,
Nunc ſedeam ſtolidas Tityrus inter oues.
Et mihi pro lauro circundet tempora myrtus,
Perq; meas abeant ruſtica ſerta comas.
Quid iuuat aut reliquas coluiſſe laboribus artes?
Iuraue veſani litigioſa fori?
Armaq; Barbariem contrà, Satyrosq; rebelles
Ferre, nec è vulgi pars rudis eſſe choro?
Omnibus his olim præſtans (Haddone) fuiſti,
Non minus in gelida ſors tibi ceſſit humo.
Hæc ego dicebam lachrymans, animusq; ferebat
Mollia poſthabitis quærere fata libris.
Sed quid ago? poteronè meas poteronè Camenas
Stultus, & inuito linquere caſtra duce?
Ahpiget, & voces damnataq; verba retracto,
Rurſus & opto lubens eſſe, quod antè fui.
Non ita ſuccenſi deferuet pectoris ardor,
Nec citò ſpernuntur quæ placuêre diu.
Quid ſi ſit tellus eadem commune ſepulchrum,
Aquaq; cum Muſis tempora Faunus habet?

Ipſa ſibi pretium virtus operoſa laboris
Soluit, & in caſtris militat ipſa ſuis.
Sed neq́ quæ cineres nomen quoq́ cõtinet vrna
Ingeniumuè putri vile iacebit humo.
Excubat ad tumulum virtutis gloria, quosq́
Viuere fata vetant, non ſinit illa mori.
Canities reliquis fuit, aut connubia diuis,
Quæ præerat ſtudijs, innuba Pallas erat.
Nec quia pugnatrix ſapientia, prælia fertur,
Sæuaq́ terribili tela mouere manu.
Tela viri, rigidoq́ gerunt haſtilia ferro,
Longa puellares non decet haſta manus.
Fallimur idcircò, non ſunt hæc Palladis arma:
Pro clypeo chartæ, cuſpide, penna fuit.
Hæc meliùs pugnant, his Mors deuincitur armis,
Hæc timet, haſtatas non timet ille manus.
Dicite (Pierides) cur vobis cana ſenectus
Parcat: & in veſtris nulla ſit alba comis?
An quia virtuti comitem ſe gloria ſemper
Addat, & ingenium nulla ſenecta premat.
Fertur & æternam Phœbus ſecuiſſe iuuentam,
Quam colit, ars illum non ſinit eſſe ſenem.
Ergonè nil meritos potero liquiſſe libellos?
Contemptorq́ bonæ ſtrenuus eſſe rei?

Non

Nonpotero: reduces iterum ſaluete libelli,
Gignit amicitias vtilis ira nouas.
Marce redi, Patauine redi, tuq; Attica linguæ
Gloria, Cecropij quem ſtuduëre patres.
Tuq; redi Stagirita, redi cui mellea labris
Fatidicæ dederant omnia vocis apes.
Non ita diuidimur (breuis ardet amantibus ira)
Iliadum vates, AEneadumq; redi.
Quamq; ſubirata dudum mihi fronte negabas,
Iam reduci facilem porrige (Naſo) manum.
Tu quoque nigra ferens parcarum vulnera, charta,
Pennaq;, militiæ tela redite meæ.
Et vos Pieriæ faciles ignoſcite diuæ,
Sufficiens leuitas pœna ſit ipſa ſibi.
Iam pudet incepti, iam tota mente quod egi
Pœnitet, Argolicæ flumina teſtor aquæ
Quod ſupereſt, Haddone vale: ſic viuere nobis,
Sic tibi, dum licuit, viuere dulce fuit.
Te viridis Chami deflent in gurgite mœſtæ
Naiades, inq; ſuis tale queruntur aquis:
Hîc ſtetit, hîc ſtuduit, puer hoc in ceſpite luſit,
Illa ſalix doctæ conſcia vocis erat.
Talia dum memorant, dolor vt fœcundior imbre
Creſcat, inexpletis fletibus ora rigant.

Et

Et tibi vere nouo viridi de cespite bustum,
Cumq; nouis spondent lilia mixta rosis.
Lilia fontanis quæ nutrit Hamadryas vndis,
Quasq; salix virides educat alta rosas.
Hîc tibi, solenni stans ad tua funera cantu,
Carmen olor mœrens exequiale canet.
Et veluti propriæ faceret præsagia mortis,
Mille dabit varijs carmina flexa notis.
Teq; suæ iunget partem, sociumq; querelæ,
Daulias Ismarium quæ gemit ales Itym.
Ac licet illa tuæ quondam fuit æmula vocis,
Iam querulo tristes fundet ab ore modos.
Nos quoque (stulta licet pietas sit flere beatos)
Fleuimus: at frustrà quid lachrymasse iuuat?
Talia plebæos capiunt solatia inanes,
Flebilibus virtus non caret alta genis.

Idem ad salicem Haddoni.

LEnta salix placidas quæ das messoribus ũbras,
Notaq; vicino brachia fundis agro,
Cur vbi vere mitãs Aries Athamãtidos Helles,
Restituit plantis, arboribusq; decus:
Ipsa tamen (ceu sola neges formosa videri)
Cum seris reparas vimina rara comis.

Fallor?

IN OBIT. G. HADD.

Fallor? an Haddoni te triſtia funera tangunt?
Et domini cupias tu quoque fata ſequi?
Quid faciant homines, pietas cum mutua plantas
Imbuat, & creſcat lata per arua fides.
Deſpeream niſi te lauris pro munere tali,
Palladis & ſacræ frondibus antè feram.
Viue tamen, dominiq; refer morientis honorem,
Perpetuumq; decus nominis huius habe.
Non vos dura vetant reuireſcere fata quotānis,
Nos alia cogunt conditione mori.
Sic tibi, qui calamo ſalientes prouocet agnos
Paſtor, & in ramis garrula cantet auis.
Subq; tuis (nā magna nocent armenta) capeſſāt
Frondibus, innocui frigora longa greges.
Neuè tuo meſſor caſu det vulnera trunco,
Sicubi depoſita falce, quieſcit humo.
Ipſe tibi reducem veris gratabor honorem,
Lenior vt frondes elicet aura nouas.
Inq; ſalutatis ſtatuam redimicula ramis,
Grataq; ſolenni præmia more feram.
Neuè ſit armentum damno tibi, ſiue viator,
Tale, ſed illæſo cortice, carmen erit:
Tityre, pelle boues, hæc eſt Haddonidis arbor:
Ipſa vices vmbræ, nominis ille dedit.

Cleri

Cleri Haddoni luctus.

E Loquar? an ſileam? reprimã? dicamue dolorẽ?
Heu miſer ærumnas eloquar ipſe meas.
Infœlix chari funus deploro parentis,
O mihi funeſtum funus, & atra dies.
Atra dies fuit hæc, atque illætabilis hora,
Qua fugis è vita me ſine, chare pater.
Sic potes à ſolo tacitus diſcedere nato?
Et ſic cum miſera linquere cuncta domo?
Sed nimium propere rumpebant fila ſorores,
Et mors fatales iniicit atra manus.
Improba mors nimiũ, crudeles vos quoque Parcæ,
Quæ diuæ humanum perditis omne genus.
Optima quam primum manibus capiuntur auaris,
Creſcere ſed ſinitis deteriora diu.
Nonne nouem poterant in tres valuiſſe ſorores?
Nec prece, nec precio, nec valuere minis?
Quid fera mors iuſtas? iam deſine, deſine tandẽ
Crudelis noſtram ſic ſpoliare domum.
Non poteras tanta ſatiari cæde meorum?
Hæc ſunt ex noſtra funera quinta domo.
Primo mihi binas rapuiſti dura ſorores,
Hei mihi matris erant tertia fata meæ.

Quartus

Quartus erat frater, iam mors tua tela reconde,
Non est de victo gloria magna sene.
Sed cur me linquis sine fratre, sorore, parente,
Quin potius totum destrue (quæso) genus.
Ergo erat in duris me solum viuere fatis,
Post totam amissam me superesse domum?
Ad quænam mala me mors importuna reseruas?
Quàm vellem patri iam comes esse meo.
Sed quod ego vellem non vult diuina voluntas,
Quæ vertet spero hæc in meliora mihi.
Est deus, est q̃ deo seruorum cura suorum,
(Hoc mihi nam memini dicere sæpè patrem.)
Hunc deus è terris ad se migrare volebat,
Expectata diu cui fuit illa dies.
Tam pater indulgens (alij nam cætera laudent)
Quàm pius optaret filius esse, fuit.
Fælix in vita, magis ipso in funere fælix,
Fælix est duplici post sua fata modo.
Et quò eum cernit, cuius sit sanguine saluus,
(Cui par lætitia est nulla, nec esse potest)
Et suaq̃ virtus tales sibi iunxit amicos,
Qui perstant memores post sua fata sui.
Quiq̃ quod est rarum, veteri pro patris amore,
Auxilium nato subsidiumq̃ ferunt.

Quos

Quos mihi iam patres, patrio tutetur amore,
Summus eras cuius, semper eris q̃, deus.
Iamque vale genitor, supremũ in funere honorẽ,
Filius hæc scripsit carmina mœsta tuus.

In Cleri Haddoni de patre censuram, responsio Osmundi Lakesij.

Tam pater indulgens, alij nam cætera laudent,
Quam pius optaret filius esse, fuit.

SI pater indulsit iuueni maturior annis,
Tantum, Clere, tibi, quanta pietate fuisti,
Nempe beatus eras. Quis n.te charior illi,
Si te nemo dei fuit obseruantior vnquam?
Rara quidem pietas solet esse senilibus annis,
Tempora decliuis cum iam canentibus ætas
Crinibus inuestit, pulsat q̃ effœta sepulchrum.
Rarior in pueris, vbi mollibus omnia dantur
Lusibus atque iocis. Et adhuc iuueniliter instans
Proruit in luxum, & sequitur quæcunque libido
Iusserit, impatiens q̃ iugi cœlestis, abhorret
Tum qui recta monent, tum qui meliora sequũtur,
Flexibilem impietas animum temeraria fœdis
Criminibus laxat, mens ingeniosa nouandis
Rebus, & ad turpes volat imperterritus artes.
At tua mens alium suasit tibi, Clere, tenendum

AEtatis curſum, vicitq; intenſior vſus
Diſcendi, vigilansq; ſacræ meditatio legis,
Ocia quicquid habent petulantis blanda iuuentæ.
Edideras, lachrymans dico, præclara futuræ
Signa iuuentutis, niſi te lachrymabile fatum
Ante diem, ſæuo raperet premeretq; profundo,
Credideram extinctum reparari in prole parentis
Et genus & nomen: qui non inglorius hæres
Adderet antiquo plus quam cepiſſet ab ortu.
Secretos etiam tenero inſpiraſſe ſorores
Audieram cum dote halitus Libethridras ori,
Dulcior vt flueret redolenti oratio melle.
Id quoque iucundo guſtu libauimus ex te,
Cum vaga turba tuo pendebat ab ore loquentis.
Tunc multi viridis mirati ætatis acumen,
Viua quidem eloquij agnoſcũt ſimulachra paterni,
Ingentisq; futura boni ſolatia captant.
Pars etiam cogitant matura putredine mala
Corrumpi citius, quàm quæ pendentia ramis
Lentius ad cameram veniunt, ſeroq; leguntur.
Nec memorabo alios, quorum mens ſpeq; metuq;
Plena, manet dubios inter iactata tumultus.
Nunc ſpẽ quiſque fouet, fore, qui præſtantior hæres
Eximias æquet laudes, & facta parentis

Nobili-

Nobilitata ſuis ſtudijs melioribus ornet:
Nunc venit in mentem de Parcis multa timere,
(Sunt autem ingenijs duræ fælicibus hoſtes)
Ne iuuenẽ raperẽt prius hinc, quàm plenior annis
Palladis auſpicio Patrios ſuperaret honores.
O vtinam falſo tam triſtia fata timore
Aut æuum ſaltem in longum præuiſa fuiſſent.
O vtinam tenui tenerum poſuiſſet in amne
Corpus, & exiguo contentus flumine, vaſtas
Extimuiſſet aquas, & amico languida fluctu
Membra oblectaſſet, timidusq́, nouusq́, Natator.
O vtinam exemplo præeuntis, & ardua paſſi
Admonitus nigris prius abſtinuiſſet ab vndis,
Quàm ſerò ſocium medio ſub gurgite clamans
Candentem bibula faciem laceraſſet arena.
O vtinam amiſſum rediuiuus in aëra, merſus
Emerſiſſe ſtatim potuiſſet, vt, abſque periclo
Quàm mala ſub liquida geritur res gẽte, referret.
Tunc, vbi iam queritur non digna morte perẽptũ,
Suſceptum in gremio refouens Academia, natis
Legibus, heu ſerò inſtrueret, vetitumq́, doceret
Flumina corporibus petere interdicta lauandis.
At nunc flende iaces, neque ſeris legibus eſſe
Subiectus poteris. O multum flebilis vmbra

Viſe

Viſe mihi, cum te recubante in littore vidi
Exanimem, vita caſſumq́, & inutile pondus.
Corporis exuuiæ clauduntur marmore: mentis
Relliquiæ dubio procul aſcendere ſupernas
AEdes, Clere, tuæ. Quibus hinc in fine reſumptis
Chriſto coniuncti placidis amplexibus, omnes
Mortifero optatis potiemur ab hoſte triumphis.

Reſponſio ad verſus Cleri Haddoni, quos de patris morte paulò antè ſuam conſcripſit.

Æg. Fletcheri.

HAEc tibi defuncto mittit, qui mittere viuo
Mallet, ad Elyſios nunc vbi viuis agros.
Antè quidem voluit, ſed mittere fata vetabãt:
Rarus ad Elyſium nuntius ire ſolet.
Me vicina tenent inuiſi flumina Chami,
(Heu nimium viuo flumina nota tibi)
Perlege, non iterum perturbo fletibus vmbras,
Iamdudum lachrymis obriguêre genæ.
Vota nec vt redeas, nil proficientia mitto,
Clauditur ad ſeras regia veſtra preces.
Carmina quæ nuper de patrio de funere vidi,
Manibus hæc cogunt ſcribere verba tuis.
Quòd tua, quòd pia ſint, quòd docta, quòd vltima,
Vndiq́ iudicio (Clere) probata meo. (cõſtant.

Quid querar? illa mihi non displicuisse legenti?
At mihi nil poterit displicuisse tui.
An tua quò potius placuêrunt carmina, lætar?
Attamen hæc eadem quod placuêre, nocent.
Non mihi cuiusquam mens carpitur inuida rebus:
(Si foret, in viuos inuidiosa foret.)
Sed tua scripta legens, te viuum (Clere) recordor,
Rursus & ingenio vulneror ipse tuo.
Iamq; mihi mors est, quòd quondã vximus vnâ,
Quodq; fuit, cessans esse, fuisse dolet.
Quid tua mors faciet, faciat cum vita dolorem?
Quidue dolor coget, flere vbi cogit amor?
Non ego te patrem miror doluisse, dolebat
Qui sibi nec natus, nec tibi frater erat.
Sed potuisse tuum prudenter flere parentem,
Hæc cum sit pietas ingeniosa, placet.
Eloquar an sileam? sileas, dicasue licebit.
Siue tacebis, eris, siue loquâre, pius.
Dũ (quod agis) doleas, pietas in vtroque patebit,
Efficit vt sileas, vtque loquâre, dolor.
Sed tua quid faciat pietas incerta, probatur
Certior, & maior fit dubitando, fides.
Est virtus siluisse, sed abditur illa silendo,
Qui tacitè bonus est, est sine teste bonus.

Ergò

Ergò patrem melius deflebas (Clere) loquendo,
Cum loquitur pietas, ſuſpicione caret.
Quod tamen antè tuũ quia concidit ille ſepulchrũ
Arguis, iniuſtè te queror eſſe pium.
Debueras illi naturæ lege ſuperſtes
Eſſe, nec ante tuum filius ire patrem.
Teſine (Clere) tuus potuit pater ire ſub vmbras,
Viuere ſed ſine te vix potuiſſe reor.
Non ego quo Haddonum raptum lætetur in hoſte
Credideram tantum poſſe latere nefas.
Quod non crediderã quenquã, nunc eloquor ipſe.
O bene quod celeri funere raptus erat.
Quid ſi te medio vidiſſet gurgite merſum,
Eq́ necaturis membra tuliſſet aquis.
O quoties eadem dixiſſet triſtior ille,
Hei mihi funeſtum funus, & atra dies.
Non igitur ſi lege nocens mors optima tollat,
Eſt fera iudicio (Clere) vocanda tuo.
Nec tibi quod patrẽ matrẽq́ quod abſtulit antè,
Quod periit frater, quòd ſine prole ſoror.
Iam poterat ſenior materq́, paterq́ videri
Nullaq́ ſpes fratris, nulla ſororis erat.
Tum mors crudelis poterat, tum dura vocari,
Cum rapuit veſtræ funera ſexta domus.

Cum te ſpem generis ſine fratre, ſorore, parente,
Veſtraq́ funeſtis nomina merſit aquis.
Forſan at illa tuas audiuerat ante querelas,
Cum patris optares funeris eſſe comes.
Ergo malis potuit temeraria cedere votis,
Noſtraq́ pro tantis ſpernere vota bonis.
Nec ſatis illuderat: lethum tibi triſte minatur,
Teq́ tui vatem funeris eſſe facit.
Ad mala me quænam mors importuna reſeruas?
(O nimis augurio vox ea vera ſuo.
Sed mala quæ dicis, deus in meliora precanti
Vertit, vt in reliquo vox tua vera foret.
Fortiter ergo poteſt, ſapienter lædere neſcit,
Hæc mala, quæ cauſas non videt eſſe boni.
Nunc etenim rurſus charo ſuper aſtra parenti
Iungeris, in votis quod fuit antè tibi.
Fortunate puer, genitor quoque morte beate,
Interitu fœlix factus vterque ſuo.
Et quod vos iterum cupiat poſt funera tellus,
Et quod vos tellus quos cupit, axis habet.
Accipe nunc igitur gratantia verba ſalutem,
Et quo non poteris (Clere) carere, vale.

EIVSDEM.

Νάμασιν ἁδλώνες λῦναι λὴν μοῖρα ἔφησε,
Ἓν λάμεν ἀμφοτέροιν ἔμμορα θεῖα τέλος.

ψευδ῾ ἔδοξε λαλεῖν, ἀλλ᾽ ὃ φατὸ ψευδος: ἔδυνε
τον γὰρ ὑγρὸν κεφαλῆς, τὸν ποταμοῖο ὕδως.

Adonis eiuſdem Fletcheri.

EXtinctum Lycidas nuper deflebat Adonim
Venator, gemituq́ lacus, fluuiosq́ replebat.
Hunc etenim captantem vndas, fluuioq́ lauãtẽ,
(Ah procul à comitum turba cætuq́ ſuorum)
Crudelis torrens ſinuantibus abſtulit vndis.
Ille ſuper ripam recubans, vbi flebile corpus
Viderat, & triſti proſpectans flumina vultu,
(Flumina væ tenero nimium dilecta ſodali)
Implebat clamore locum, celeresq́ ſagittas,
Atque habilem ponens, humeris quẽ geſſerat arcũ,
Talibus immitem compellat vocibus amnem.
Comprimite ô paulũ, currẽtes murmura lymphæ,
Dum queror, & quanquam nil proficientia vobis
Verba loquor, fruſtrà mæſto tamen alloquor ore.
Vos ego, vos vndæ teſtor, vos flumina ripas
Quæ colitis, gelidiq́ imis conuallibus omnes:
Sic puerum informi potuiſtis perdere letho?
Nec vos noſter amor, nec vos ſpes vlla mouebat
Ingenij, generisq́ decor, nec forma, nec ætas,
Crudeles? nec quod venatu laſſus, & æſtus,
Sæpius hîc veſtras mecum requieuit ad vndas?

Sed

Sed quid ago? non vnda nefas, non talia ſentit
Vulnera, nec facti, ſceleris neque pœnitet illam.
Nec quid ſit lachrymæ, nec quid ſint gaudia curat.
Nos te (chare puer) gelidi per fluminis amnem
Deflemus, lachrymasq; tibi, gemitusq; ciemus,
Iam piget & nemorum, iam me nec dulcia riuis
Arua iuuãt, iaculũue manũ, grauidasue pharetras
Ferre, nec aſſuetos indagine claudere montes.
Aut celeres nutrire canes: quis retia mecum?
Quis iuga? quis tenſo cinget nemora auia lino?
Longa vel è tereti ſtringet venabula quercu?
Non ego te potui ſaltem (dulciſſime rerum)
Affari, lachrymasq; ſupremis addere verbis,
Nec quô lætus abis, nec (Adoni) reuertere, dixi.
Infœlix, qui me ſaltus, quæue arua tenebant
Errantem cum tu Bromium, Lycoramq; vocares,
Vltima per notas flectens veſtigia ripas.
Dixiſſem, latices, & noxia flumina vita.
Terra viris, auidis patet humida piſcibus vnda.
Hîc potius conſide (puer) qua florida circum
Fundit opes tellus: hîc & Narciſſus, & alter
Ille tuo quondam de nomine dictus Adonis,
Triſte ferens pretium paribus temerarius auſis.
Et Clytie, & Phœbo charus puer: aurea quondã
Corpora, nunc humili creſcentes ceſpite flores,

Purpu-

Purpureoq; vibrens pingit se gramen acantho.
Tutior in ripa lusus, malè creditur vndis:
Sæpè super littus puppes, eiectaq; vidi
Funera, cæruleoq; natantes gurgite nautas,
Et mox amissam flentes in littore nauem,
Sed nec adhûc spirant Zephyri, pluituraue cedunt
Astra, nec ægroti purgantur fecibus amnes.
Necdum læta micant, sudi prænuncia signa.
Hoc ego dixissem, sed quid iam proderit illud?
Has olim latebras, hæc olim pascua mecum.
Vos illud meministis agri, aut meminisse potestis,
Lustrabas, hîc arte feras, volucresq; solebas
Fallere viminibus: fælix si noxia mecum
Flumina vitasses: sed non amor omnibus idem.
Fælices olim syluæ, quas ille colebat,
Et fortunatæ, quibus ille quieuerat, vmbræ.
Iam puer assueuit venantum ferre labores,
Iam pauidas vrgere feras, vbi Lucifer ortus
Extulit: & pedicas aptans, & tortile cornu,
Et picturatum (quem nunc habet Amasus) arcum
Ibat ouans, paruoq; vibrans hastile lacerto,
Iam quoque certa dedit fugitiuis vulnera ceruis.
Quid iuuenis faceret, puer hæc cũ gesserit arma?
Iamq; tua captæ forma, specieq; decora,
Dulcia sperabant lætæ connubia Nymphæ.

Nunc

Nunc ſpes illa cadit, tecum prior illa voluptas
Interijt, fugiunt mœſtæ connubia Nymphæ.
Hûc puer ô formoſe redi, tibi mollius aſtrum
Fulgebit, neque iam tellus, neque frigida lædent
Flumina, maioresq; cadent de montibus vmbræ,
Et melior tandem reduci gratabitur aura:
Huc, puer ô formoſe, redi, quid talia demens
Eloquar? hæc tanquam tibi ſint mortalia curæ.
(Fortunate puer) tu nunc ſuper alta quieſces
Sydera, nec dubios rerum ſectabere caſus.
Fælix illa dies, quæ nos ſimul æthere iunctos
Accipiet, captosq; loco meliore fouebit.
Et veniet: neque enim longè (pater optime) tẽpus
Auguror eſſe tuum, iamiam dedit omnia tellus.
Intereà memori ſeruabimus omnia mente.
Amnis vt hic areſcet, & hæc vt lympha recurret,
Et refluo primos inuiſet gurgite fontes,
Sic etiam noſtro de pectore cedet Adonis.
Hæc ait, & Pharetram Lycidas arcumq; reſumẽs
Subligat: aſt illum lachrymis, gemituq; ſequuntur
Elpomenas, Talaphronq; canes, fuſiq; per herbam
Blanditu cupiunt domini lenire dolorem,
Sic lachrymans exceſſit agris, vrbemq; petebat.

FINIS.